gitali longitudine,& latitudine in terram uersis, in cacumine diuisis, cauliculo semipedali, non sine ramis,peltarum specie,semine incluso, lenticulæ effigie,nisi quod infringitur,unde nomen. Flos albicat. Nascitur in semitis & sepibus. Semen asperi gustus,bilem & pituitam utrinq; extrahit. Modus sumendi,acetabuli mensura. Prodest & ischiadicis infusum, donec sanguinem trahat. Menses quoq; ciet,sed partus necat. Alterũ thlaspe, aliqui Persicum napi uocãt, latis foliis, radicibus magnis,& ipsum utile ischiadicorũ infusioni. Prodest & inguinibus utrunq;. Præcipitur,ut qui colligit,dicat sumere se cõtra inguina & contra omnes collectiones,& contra uulnera,unaq; manu tollat. Tragonia herba qualis sit, non traditur. Credo & falsum esse promissum Democriti. Portentosum enim est,adalligatam triduo absumere lienes. Tragonis,siue tragion,nascitur in Cretæ tantũ insulæ maritimis,iunipero similis, & semine & folio & ramis. Succus eius lacteus in gũmi spissatus, uel semen,impositione spicula è corpore eijcit. Tunditur recens,& cũ uino illinitur,aut siccæ farina cũ melle. Eadem lactis abundantiã facit, mammisq; unice medetur. Est & alia herba tragos,quam aliqui scorpion uocant, semipedẽ alta,fruticosa,sine foliis,pusillis racemis rubentibus,grano tritici acuto cacumine,& ipsa in maritimis nascẽs. Huius ramorũ x. aut XII. cacumina trita ex uino pota cœliacis,dysentericis,sanguinẽ excreãtibus,mensiumq; abundantiæ auxiliantur. Est & tragopogon,quem alij comen uocant,caule paruo,foliis croci,radice longa,dulci, super caulem calyce lato,nigro. Nascitur in asperis,sine usu. Et de herbis quidem memoria digna hactenus aut accepimus, aut comperimus. In fine earum admonere nõ ab re iudicamus, alijs alias uirium ætates esse, Longissimo tempore durat elateriũ,ut diximus: Chamęleon niger XL. annis. Centauriũ nõ ultra XII. Peucedanum & aristolochia ac uitis sylueſtris anno in umbra seruantur. Et animaliũ quidem cæterorũ nullum aliud,radices à nobis dictas attingit,excepta spondyli,quæ omnes persequitur. Genus id serpentis est. Ne illud quidem dubitatur, omnium radicum uim effectusq; minui, si fructus prius maturescant: item seminũ, ante radice propter succũ incisa. Resoluitur autẽ omnium uis consuetudine. Et desinunt prodesse cum opus est,quæ quotidie in usu fuere, æque q̃; nocere. Omnes uero herbæ uehementiores effectu uiribusq; sunt in frigidis locis, & in aquilonijs, item siccis. Sunt & gentium differentiæ non mediocres. Sicut accepimus de tineis lumbricisq;, inesse Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Cilicię populis: è diuerso Græciæ, Phrygiæ omnino nõ nasci. Minus id mirũ,q̃; quod in confinio Atticæ Bœotiæq; Thebanis innascuntur,cum absint Athenienſibus. Quæ contemplatio aufert rursus nos ad ipsorum animalium naturas, ingenitasq; ijs uel certiores morborũ omniũ medicinas. Enimuero rerum omnium parens,nullum animal ad hoc tantũ ut pasceretur, aut alia satiaret,nasci uoluit, artesq; salutares inseruit & uisceribus,quippe cum surdis etiã rebus inseruerit. Tum uero illa animæ auxilia præstantissima ex anima alia esse uoluit, contemplatione ante cuncta mirabili.

## C. PLINII SECVNDI NATVRALIS HISTORIAE LIBER XXVIII

### PROOEMIVM.

### De medicinis ex animalibus. Cap. I

DICTAE ERANT omnium rerum naturæ, inter cœlum ac terram nascentium, restabantq; quæ ex ipsa tellure fodiuntur, si non herbarum ac fruticum tractata remedia auferrẽt transuersos, ex ipsis animalibus quæ sanantur,reperta maiore medicina. Qui ergo dixerimus herbas & florũ imagines,ac pleraq; inuentu rara ac difficilia, ijdem tacebimus quid in ipso homine prosit homini, cæteráque genera remediorum inter nos uiuentia? cum præsertim, nisi carenti doloribus morbisq;, uita ipsa pœna

fiat. Minime uero. Quin omnem insumemus operã, licet fastidij periculum urgeat: quando ita decretum est, minorem gratiæ quàm utilitatum uitæ respectum habere. Quinimo externa quoq;, & barbaros etiã ritus indagabimus. Fides tantum autores appellet. Quanquam & ipsi consensu propè iudicata eligere laborauimus, potiusq; curæ rerũ, quàm copiæ institimus. Illud admonuisse perquam necessariũ est, dictas iam à nobis naturas animalium, & quæ cuiusq; essent inuẽta. Neq; enim minus profuere medicinas reperiendo, quàm prosunt præbendo. Nunc quæ in ipsis auxilientur indicari, neq; illic in totũ omissa. Itaq; hæc esse quidem alia, illis tamen cõnexa. Incipiemus autẽ ab homine, ipsum sibi exquirentes, immẽsa statim difficultate obuia. Sanguinẽ quoq; gladiatorũ bibunt, ut uiuentibus poculis, comitiales morbi: quod spectare facientes eadem harena feras quoq; horror est. At hercule illi ex homine ipso sorberi efficacissimũ putant calidum spirantemq;, & unà ipsam animam ex osculo uulnerum, cum plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas sit humana. Alij medullas crurum quærunt, & cerebrum infantium. Nec pauci apud Græcos, singulorum uiscerum membrorumq; etiam sapores dixere, omnia persecuti usq; ad resegmina unguium: quasi uero sanitas uideri possit, feram ex homine fieri, morboq; dignum in ipsa medicina, egregia hercule frustratione si non prosit. Aspici humana exta nefas habetur, quid mandi? Quis ista inuenit ostenta? Tecũ enim res erit euersor iuris humani, monstrorumq; artifex, qui primus ea condidisti, credo ne uita tui obliuisceretur. Quis inuenit singula membra humana mandere? qua coniectura inductus? Quam potest medicina ista originem habuisse? Quis ueneficia innocentiora effecit quàm remedia? Esto barbari externiq; ritus inuenerint, etiam ne Græci suas fecere has artes? Extant commentationes Democriti, ad alia noxij hominis è capite ossa plus prodesse: ad alia, amici & hospitis. Iam uero ui interempti dente, gingiuas in dolore scarificari Apollonius efficacissimum scripsit. Miletus oculorum suffusiones felle hominis sanari. Artemon caluaria interfecti, neque cremati, propinauit aquam è fonte noctu comitialibus morbis. Ex eadem suspendio interempti catapotia fecit, cõtra canis rabiosi morsus Antheus. Atque etiam quadrupedes homines sanauere, cõtra inflationes boum, perforatis cornibus inserentes ossa humana. Vbi homo occisus esset, aut crematus, siligincm quæ pernoctasset, suum morbis dando. Procul à nobis nostrisq; literis absint ista. Nos auxilia dicemus, non piacula: sicubi lactis puerperarum usus mederi poterit, sicubi saliua tactus ue corporis, cæteraq; similia. Vitam quidem non adeo expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit. Quisquis es talis, æque moriere, etiã cum obscœnus uixeris aut nefandus. Quapropter hoc primum quisque in remedijs animi sui habeat: ex omnibus bonis quæ homini tribuit natura, nullũ melius esse tempestiua morte: in eaq; id optimum, quod illam sibi quisq; præstare poterit.

An sit in medendo aliqua uis uerborum, & sanari & depelli. Cap. II

EX homine remediorũ primũ maximæ quæstionis, & semper incertæ est, ualeant ne aliquid uerba & incantamenta carminum. Quod si uerum est, homini acceptũ ferri oportere conueniet. Sed uiritim sapientissimi cuiusque respuit fides. In uniuersum uero omnibus horis hominis credit uita, nec sentit. Quippe uictimas cædi sine precatione non uidetur referre, nec deos rite cõsuli. Præterea alia sunt uerba impetrantis, alia depulsoris, alia commentationis. Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus. Et ne quid uerborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusq; alium custodem dari qui attendat, alium uero præponi qui faueri linguis iubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur: utraq; memoria insigni, quoties ipsæ diræ obstrepentes nocuerint, quotiẽsue precatio errauerit, sic repente extis adimi capita, uel corda, aut geminari uictima stante. Duratq; immenso exemplo Deciorum, patris filijq;, quo se deuouere, carmen. Extat Tucciæ Vestalis incestæ precatio, qua usã aquam in cribro tulit, anno urbis DCIX. Boario uero in foro Græcum Græcamq; defossos, aut aliarum gen-

rum gentiũ,cum quibus tum res esset, etiam nostra ætas uidit. Cuius sacri precationem, qua solet præire quindecem uirũm collegij magister, si quis legat, profecto uim carminum fateatur, ea omnia approbantibus octingentorum triginta annorum euentibus. Vestales nostras hodie credimus nondum egressa urbe mancipia fugitiua retinere in loco precatione: cum si semel recipiatur ea ratio, & deos preces aliquas exaudire, aut ullis moueri uerbis,confitendum sit de tota coniectatione. Prisci quidem nostri perpetuo talia prodidere. Difficilimumq; ex his etiam fulmina elici, ut suo loco docuimus. L. Piso primo annalium autor est, Tullum Hostilium regem ex Numæ libris eodem quo illum sacrificio Iouem cœlo deuocare conatum,quoniam parum rite quædam fecisset,fulmine ictum. Multi uero magnarum rerum fata & ostenta uerbis permutari. Cum in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inuenissent, missis ob id à senatu legatis, Hetruriæ celeberrimus uates Olenus Calenus præclarum id fortunatumq; cernens, interrogatione in suam gentem transferre tentauit, scipione prius determinata templi imagine in solo ante se: Hoc ergo dicitis Romani, hic templum Iouis optimi maximi futurum est? hic caput inuenimus? constantissima annalium affirmatione transitum fuisse fatum in Hetruriam, ni præmoniti à filio uatis legati Romani respondissent,non planè hic,sed Romæ inuentum caput dicimus. Iterum id accidisse tradunt,cum in fastigiũ eiusdem delubri præparatæ quadrigæ fictiles in fornace creuissent: & iterum simili modo retentum augurium. Hæc satis sint exemplis, ut appareat, ostentorum uires & in nostra potestate esse: ac prout quæque accepta sint, ita ualere. In augurum certe disciplina constat,neque diras,neque ulla auspicia pertinere ad eos,qui quamque rem ingredientes,obseruare se ea negauerint: quo munere diuinæ indulgentiæ maius nullum est. Quid? non & legum ipsarum in duodecim tabulis uerba sunt, Qui fruges excantasset.Et alibi, Qui malum carmen incantasset. Verrius Flaccus autores ponit quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum à Romanis sacerdotibus euocari deum, cuius in tutela id oppidum esset: promittiq; illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumúe. Durat in pontificum disciplina id sacrum. Constatq; ideo occultatum, in cuius dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet ouorum, ut exorbuerit quisque, calyces cochlearumq; protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari. Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos,proximeq; Vergilij incantamentorum amatoria imitatio. Figlinarum opera multi rumpi credunt tali modo: non pauci etiam serpentes ipsas recantari: & hunc unum illis esse intellectum, contrahiq; Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete. Etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur. Neque est facile dictu, externa uerba atque ineffabilia, derogent fidem ualidius, an Latina inopinata, & quæ ridicula uideri cogit animus,semper aliquid immensum expectãs, ac dignum deo mouendo, imò uero quod numini imperet.Dixit Homerus,profluuium sanguinis uulnerato femine Vlixem inhibuisse carmine: Theophrastus ischiadicos sanari.Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari,M. Varro podagris.Cæsarem dictatorem post unum ancipitem uehiculi casum,ferunt semper ut primum consedisset, id quod plerosque nunc facere scimus, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum. Licet hanc in partem singulorum quoque conscientiam coarguere. Cur enim primum anni incipientis diem, lætis præcationibus inuicem faustum ominamur? Cur publicis lustris etiam nomina uictimas ducentium prospera eligimus? Cur & fascinationibus adoratione peculiari occurrimus? alij Græcam Nemesin inuocantes? cuius ob id Romæ simulacrum in Capitolio est, quamuis Latinum nomen non sit. Cur ad mentionem defunctorum, testamur memoriã eorum à nobis non sollicitari? Cur impares numeros ad omnia uehementiores credimus? Idq; in febribus dierum obseruatione intelligitur. Cur ad primitias pomorũ hæc uetera esse dicimus, alia noua optamus? Cur

ſternutamentis ſalutamur? quod etiam Tiberium Cæſarem, triſtiſsimum (ut conſtat) ho
minum, in uehiculo exegiſſe tradunt. Et aliqui nomine quoq; conſalutare, religioſius pu/
tant. Quin & abſentes tinnitu aurium præſentire ſermones de ſe, receptum eſt. Attalus af/
firmat ſcorpione uiſo, ſi quis dicat duo, cohiberi nec uibrare ictus. Et quoniã ſcorpio ad/
monuit, in Africa nemo deſtinat aliquid, niſi præfatus Africam. In cæteris uero gentibus,
deos ante obteſtatur ut uelint. Nam ſi menſa adſit, nullum ponere, translatitiũ uidemus
etiam, quoniã multas religiones pollere manifeſtum eſt. Alius ſaliua poſt aurem digito
relata, ſollicitudinem animi propitiat. Pollices, cum faueamus, premere etiam prouerbio
iubemur. In adorando dexteram ad oſculum referimus, totumq; corpus circumagimus:
quod in læuum feciſſe, Galliæ religioſius credunt. Fulgetras popyſmis adorare conſenſus 10
gentium eſt. Incendia inter epulas nominata, aquis ſub menſas profuſis abominamur:
recedente aliquo ab epulis, ſimul uerri ſolũ: aut bibente cõuiua, menſam uel repoſitorium
tolli, inauſpicatiſsimum iudicatur. Seruij Sulpitij principis uiri cõmentatio eſt, quamob/
rem menſa linquenda non ſit. Nondũ enim plures quàm conuiuæ numerabantur. Nam
ſternutamento reuocari ferculum menſamúe, ſi nõ poſtea guſtetur aliquid, inter diras ha
betur, aut omnino nõ eſſe. Hæc inſtituêre illi, qui omnibus negotijs horisq; intereſſe cre/
debant deos: & ideo placatos etiã uitijs noſtris reliquerunt. Quin & repente conticeſcere
conuiuium adnotatum eſt, nõ niſi in pari præſentium numero: qua in re famæ labor eſt,
ad quemcunq; eorum pertinens. Cibus etiam è manu prolapſus reddebatur, utique per
menſas, uetabantq; munditiarum cauſa deflare. Et ſunt condita auguria, quid loquẽti co 20
gitantiúe id acciderit, inter execratiſsima. Si pontifici accidat ditis cauſa epulanti, in menſa
utiq; id reponi adolericq; ad larem, piatio eſt. Medicamenta, priuſq; adhibeantur, in men
ſa forte depoſita, negantur prodeſſe. Vngues reſecari nundinis Romanis tacenti atq; à di
gito indice, multorum pecuniæ religioſum eſt. Capillum uero cõtrectari, contra defluuia
ac dolores capitis XVII. luna atq; XXIX. Pagana lege in pleriſq; Italiæ prædijs cauetur,
ne mulieres per itinera ambulantes torqueãt fuſos, aut omnino detectos ferãt, quoniam
aduerſetur id omnium ſpei, præcipueq; frugũ. M. Seruilius Nonianus princeps ciuitatis,
non pridẽ in metu lippitudinis, priuſquã ipſe eã nominaret, aliusúe ei prædiceret, duabus
literis Græcis, P & A, chartam inſcriptã, circũligatam lino, ſubnectebat collo: Mutianus
ter conſul, eadẽ obſeruatione uiuentẽ muſcam in linteolo albo, his remedijs carere ipſos 30
lippitudine prædicantes. Carmina quædã extant cõtra grandines, contraq; morborũ ge/
nera, contraq; ambuſta, quædam etiã experta: ſed prodendo obſtat ingens uerecũdia, in
tanta animorum uarietate. Quapropter de his, ut libitum cuiq; fuerit opinetur.

Remedia ex homine, contra magos. Cap. III

HOminum monſtrificas naturas & ueneficos aſpectus, diximus in portentis gentiũ,
& multas animalium proprietates, quæ repeti ſuperuacuum eſt. Quorundam ho/
minum tota corpora proſunt, ut ex his familijs quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſo le
uant percuſſos, ſuctu ue modico. Quorũ è genere ſunt Pſylli Marſiq;, & qui ophiogenes
uocantur in inſula Cypro: ex qua familia legatus Hexagon nomine, à conſulibus Romæ
in dolium ſerpentiũ coniectus experimenti cauſa, circummulcentibus linguis miraculum 40
præbuit. Signum eius familiæ eſt, ſi modo adhuc durat, uernis temporibus odoris uirus:
atq; eorũ ſudor quoq; medebat, nõ modo ſaliua. Nã in inſula Nili Tentiri naſcentes tan
to ſunt crocodilis terrori, ut uocem quoq; eorũ fugiant. Horũ omniũ generũ in ſua repu/
gnantia interuentũ quoq; mederi cõſtat: ſicuti aggrauari uulnera introitu eorũ, qui unq;
fuerint ſerpentiũ canis ue dente læſi. Iidẽ gallinarũ incubitus, pecorũ fœtus abortu uitiãt.
Tantũ remanet uirus excepto ſemel malo, ut uenefici fiãt uenena paſsi. Remedio eſt, ab/
lui prius manus eorũ, aquaq; illa eos qbus medearis inſpergi. Rurſus à ſcorpiõe aliquãdo
pcuſſi, nunq; poſtea à crabronibus, ueſpis, apibus ue feriũtur. Minus miret hoc qui ſciat,
ueſtẽ à tineis nõ attingi, quæ fuerit in funere: ſerpẽtes ægre, præterq; læua manu extrahi.

De qui

De quibusdam sortilegijs,& saliua hominis. Cap. IIII

PYthagoræ inuentis non temere fallere,impositiuorũ nominum imparem uocalium numerum,clauditates,oculorumúe orbitatem,ac similes casus dextris assignare partibus,parem læuis.Ferunt difficiles partus statim solui,cum quis tectũ,in quo sit grauida, transmiserit lapide, uel missili ex his, quæ tria animalia singulis ictibus interfecerint, hominem,aprum,ursam.Probabilius id facit hasta uelitaris,euulsa à corpore hominis,si terram non attigerit.Eosdem enim illata effectus habet. Sic & sagittas corpore eductas, si terram non attigerint,subiectas cubantibus,amatorium esse, Orpheus & Archelaus scribunt.Quin & comitialem morbum sanari cibo è carne ferę occisæ eodẽ ferro,quo homo
10 interfectus sit.Quorundam partes medicæ sunt,sicuti diximus de Pyrrhi regis pollice.Et Elide solebat ostendi Pelopis costa, quam eburneam affirmabant. Nævos in facie tondere, religiosum habent etiam nunc multi. Hominum uero in primis ieiunam saliuam, contra serpẽtes præsidio esse,docuimus. Sed & alios efficaces eius usus recognoscat uita. Despuimus comitiales morbos,hoc est, contagia regerimus. Simili modo & fascinationes repercutimus dextræq; clauditatis occursum. Veniam quoque à deis spei alicuius audacioris petimus, in sinum spuendo etiam. Eadem ratione terna despuere deprecatione, in omni medicina mos est,atq; effectus adiuuare:Incipientes furunculos ter præsignare ieiuna saliua. Mirum dicemus, sed experimento facile: Si quem pœniteat ictus eminus cominus ue illati,& statim expuat mediam in manum qua percussit, leuatur ilico percus-
20 sus à pœna. Hoc sæpe delumbata quadrupede approbatur,statim à tali remedio correcto animalis ingressu. Quidam uero aggrauant ictus, ante conatum simili modo saliua in manu ingesta.Credamus ergo & lichenas lepras q; ieiune illitu assiduo arceri: item lippitudines,matutina quotidie uelut inunctione:carcinomata,malo terræ subacto,ceruicis dolorem,saliua ieiuni dextra manu ad dextrũ poplitem relata,læua ad sinistrum: si quod animal aurem intrauerit,& inspuatur,exire.Inter amuleta est, æditæ quenq; urinæ expuere:similiter in calceamentum dextri pedis antequam induatur:Item cum quis transeat locum in quo aliquod periculum adierit.Marcion Smyrnæus qui de simplicibus effectibus scripsit, rumpi scolopendras marinas sputo tradit: item rubetas aliasq; ranas. Ophilius, serpentes,si quis in hiatum earum expuat. Salpe, torporem sedari quocunque membro
30 instupente,si quis in sinum expuat:aut si superior palpebra saliua tangatur. Nos, si hæc & illa credamus rite fieri: Extranei interuentu,aut si dormiens spectetur infans, à nutrice terna adspui,quanq; religione mutatur & Fascinus,Imperatorum quoq; nõ solum infantium custos,qui deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur,& currus triumphantium sub his pendens defendit medicus inuidiæ,iubetq; eosdem recipere. Similis medicina linguæ, ut sit exorata à tergo fortuna, gloriæ carnifex. Morsus hominis inter asperrimos quoq; numeratur.Medentur sordes ex auribus:Ac ne quis miretur, etiam scorpionũ ictibus serpentium q; statim impositæ.Melius è percussi auribus prosunt:Ita & reduuias sanari. Serpentium uero ictum,contusi dentis humani farina. Capillus puerorum qui primum decisus est,podagrę impetus dicitur leuare circumligatus:& in totũ impubiũ impo
40 situs.Virorum quoq; capillus,canis morsibus medetur ex aceto: Et capitum uulneribus ex oleo aut uino.Si credimus,à reuulso cruci quartanis. Combustus æque capillus,carcinomati.Pueri qui primus ceciderit dens,ut terrã nõ attingat,inclusus in armillam, & assidue in brachio habitus,muliebriũ locorum dolores prohibet. Pollex in pede præligatus proximo digito,tumores inguinũ sedat. In manu dextra duo medij lino leuiter colligati, distillationes atque lippitudines arcent. Quin & eiectus lapillus calculoso,alligatus supra pubem leuare cæteros dicitur, ac iocineris etiã dolores:ac celeritatẽ partus facere. Addidit Granius,efficaciorẽ ad hoc esse ferro exẽptũ. Partus accelerat uicinos, ex quo quæq; cõceperit,si cinctu suo soluto fœminã cinxerit,dein soluerit,adiecta precatione,se uinxisse eandẽ & soluturũ,atq; abierit.Sanguine ipsius hominis,ex quacunq; parte emisso, effica

cissime

cissime anginã illini tradunt Orpheus & Archelaus: Item ora, comitiali morbo lapsorum: exurgere enim protinus. Quidam si pollices pedum pungãtur, excq; his guttæ referantur in faciẽ: aut si uirgo dextro pollice attingat: hac cõiectura censentes uirgines carnes edendas. Æschines Athenienſis ex crematorũ cinere anginis medebatur & tonsillis, uuiscq;, & carcinomatis. Hoc medicamentum uocabat botryon. Multa genera morborum primo coitu soluuntur, primocq; fœminarũ mense. Aut si nõ id contingat, longinqua fiunt, maximeq; comitiales. Quin & à serpente ac scorpione percussos, coitu leuari produnt: uerũ fœminas uenere ea lædi. Oculorum uitia fieri negant, nec lippire eos, qui cum pedes lauant, aqua inde ter oculos tangant. Immatura morte raptorũ manu, strumas, parotidas, guttura tactu sanari affirmant. Quidam uero cuiuscq; defuncti, duntaxat sui sexus, læua manu auersa. Et è ligno fulgure icto, reiectis post terga manibus, demorderi aliquid, & ad dentem qui doleat admoueri, remedio esse produnt. Sunt qui præcipiant dentẽ suffiri dente hominis sui sexus: & eum qui caninus uocetur, insepulto exemptum adalligari. Terrã ex caluaria, psilothrum esse palpebrarum tradunt. Herba uero si qua ibi genita sit, commanducata, dentes cadere. Vlcera nõ serpere ex osse hominis circũscripta. Alij è tribus puteis pari mensura aquas miscent, & prolibant nouo fictili. Reliquum dant in tertianis accessu febriũ bibendum. Item in quartanis fragmentũ claui à cruce, inuolutũ lana, collo subnectunt: aut spartum è cruce: liberatocq; condunt cauerna quam sol nõ attingat. Magorum hæc cõmenta sunt: Vt cotem qua ferramenta sæpe exacuta sint, subiectam ignari ceruicalibus, de ueneficio deficientis, euocare indicium, ut ipse dicat quid sibi datum sit, & ubi, & quo tempore, autorem tamen non nominare. Fulmine utiq; percusso, circumactũ in uulnus hominem, loqui protinus constat. Inguinibus medentur aliqui, liciũ telæ detractum alligantes nouenis septenisue nodis, ad singulos nominantes uiduam aliquam, atque ita inguina adalligantes licio. Et clauum aliudue quod quis calcauerit, alligatum ipsos iubent gerere, ne sit dolori uulnus. Verrucas auellunt à uicesima luna, in limitibus supini ipsam intuentes, ultra caput manibus porrectis, & quicquid cõprehendere eo fricãtes. Clauum corporis, cum cadat stella, si quis distringat, uel cito sanari aiunt. Cardinibus hostiorum aceto affusis, lutum fronti illitum, capitis dolorem sedare: Item laqueũ suspendiosi circumdatum temporibus. Si quid è pisce hæserit faucibus, in aquam demissis frigidã pedibus, cadere. Si uero ex alijs ossibus, impositis capiti ex eodem osse ossiculis. Si panis hæreat, ex eodẽ in utranq; aurẽ addito pane. Quin & sordes hominis in magnis fecere remedijs quæstuosorum gymnasia Græcorũ, quippe ea strigmenta molliunt, calfaciunt, discutiũt, complent, sudore & oleo medicinam facientibus: Vuluis inflammatis cõtractisq; admouentur: Sic & menses cient: sedis inflãmationes & condylomata leniunt: item neruorum dolores, luxata, articulorũ nodos. Efficaciora ad eadem, strigmenta à balineis, & ideo miscentur suppuratorijs medicamentis. Nam illa quæ sunt è ceromate permixto cœno, articulos tantum molliunt, calefaciunt, discutiunt efficacius, sed ad cætera minus ualent. Excedit fidem impudens cura, qua sordes uirilitatis contra scorpionum ictus singularis remedij celebrrimi autores clamant. Rursus in fœminis, quas infantium aluo æditas in utero ipso contra sterilitatem subdi censent, meconium uocant. Imò etiam ipsos gymnasiorum rasere parietes: & illæ quoque sordes excalfactoriam uim habere dicuntur: panos discutiunt. Vlceribus senum puerorumq;, & desquamatis ambustisue illinuntur. Eo minus omitti cõuenit ab animo hominis pendentes medicinas. Abstinere cibo nimio, aut potu, aliâs uino tantum aut carne, aliâs balineis, cum quid eorum postulet ualetudo, in præsentissimis remedijs habetur. His remedijs adnumeratur exercitatio, intẽtio uocis, ungue fricari cum ratione. Vehemẽs enim fricatio spissat, lenis mollit: Multa adimit corpus, auget modica. In primis uero prodest ambulatio, gestatio, & ea pluribus modis. Equitatio stomacho & coxis utilissima: Phthisi nauigatio: Longis morbis locorum mutatio. Item somno mederi sibi, aut lectulo, aut rara uomitione. Supini cubitus oculis conducunt, at proni

tussibus

tussibus, in latera aduersum distillationes. Aristoteles & Fabianus plurimũ somniari circa uernum & autumnũ tradunt, magisq; supino cubitu, at prono nihil. Theophrastus celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius à supinis. Solũ quoq; remediorũ maximũ ab ipso sibi præstari potest, sicuti linteorũ strigiliũq; uehementia: perfundere caput aqua calida ante balinearũ uaporationẽ, & postea frigida, saluberrimũ intelligitur. Item præsumere cibis, & interponere frigidam, eiusdemq; potu somnos antecedere, & si libeat interrumpere. Notandum, nullum aliud animal calidos potus sequi, ideoq; non esse naturales. Mero ante somnos colluere ora, propter halitus: frigida aqua matutinis impari numero ad cauendum dentium dolores: item posca oculos contra lippitudines, certa experimenta sunt.

De obseruatione uictus. Cap. v

Sicut totius corporis ualetudini uarietate uictus inobseruata. Hippocrates tradit non prandentium exta celerius senescere. Verũ id remedijs cecinit, nõ epulis: quippe multo utilissima est temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de se præfecturam seruo dederat: ultimoq; probro manus in cibis triumphali seni deducebatur, uel in capitolio epulanti, pudenda re, seruo suo facilius parere quàm sibi.

De sternutamento, & uenere, & cæteris remedijs. Cap. vi

Sternutamenta pinna grauedinẽ emendãt, & si quis muris nares, ut tradunt, osculo attingat. Sternutamẽta & singultũ. Ob hoc Varro suadet palmã altera manu scalpere. Plericq; anulum è sinistra in longissimum dexteræ digitum transferre, aut in aquã feruentem manus immergere. Theophrastus senes laboriosius sternuere dicit. Venerẽ damnauit Democritus, ut in qua homo alius exiliret ex homine. Est hercule raritas eius utilior. Athletæ tamen torpentes restituuntur uenere, mox reuocatur, cum è candida declinat in fuscam. Medetur & lumborum dolori, oculorum hebetationi, mente captis ac melancholicis. Adsidere grauidis, uel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter se implexis, uenefícium est: idq; compertũ tradũt, Alcmena Herculẽ pariente. Peius si circa unum ambo ue genua. Item poplites alternis genibus imponi. Ideo hæc in concilijs ducum potestatumúe fieri uetuere maiores, uelut omnem actum impedientia. Vetuere & sacris uotis ue simili modo interesse. Capita autem aperiri aspectu magistratuũ, non ueneationis causa iussere, sed (ut Varro autor est) ualetudinis, quo firmiora consuetudine ea fierent. Cum quid oculo incideris, alterum comprimi prodest. Cum aqua dextræ auriculæ, sinistro pede exultare, capite in dextrum humerum deuexo, inuicem è diuersa aure. Si tussis concitet, saliuam in fronte ab alio afflari. Si iaceat uua, à uertice morsu alterius suspendi. In ceruicis dolore poplites fricare, aut ceruicẽ in poplitũ. Pedes in humo deponi, si nerui in his cruribus ue tendantur in lectulo. At si in leua parte id accidat, sinistræ plantæ pollicem dextra manu apprehendi. Item è diuerso. Extremitates corporis uel aurium perstringi contra horrores corporis, sanguinem ue narium immodicum. Lino uel papyro principia genitalium: femur medium, ad cohibenda urinæ profluuia. In stomachi solutione pedes pressare, aut manus in feruentem aquam demittere. Iam & sermoni parci multis de causis salutare est. Triennio Mœcenatem Messium accepimus silentium sibi imperauisse, à conuulsione reddito sanguine. Nam euersos scandentésque ac iacentes, si quid ingruat, contráque ictus, spiritum cohibere singularis præsidij est: quod inuentum esse animalis docuimus. Clauum ferreum defigere, in quo loco primum caput defixerit corruens morbo comitiali, absolutorium eius mali dicitur. Cõtra renum & lumborum uesicæq; cruciatus, in balnearum solijs pronos urinam reddere, mitigatorium habetur. Vulnera nodo herculis præligare, mirum quantum ocyor medicina est. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, uim quandam habere utilem dicuntur, quippe cum Hercules eum prodiderit. Numerum quoque quaternarium Demetrius condito uolumine & quare quaterni cyathi sextarij ue non essent potandi. Contra lippitudines retro aures fricare prodest, & lachrymosis oculis frontem. Augurium ex homine

ipso

ipso est non timendi mortem in ægritudine, quandiu oculorum pupillæ imaginem red-
dant. Magna & urinæ non ratio solum, sed etiã religio apud autores inuenitur, digesta in
genera. Spadonum quoq; ad fœcunditatis beneficia. Verũ ex his quæ referre fas sit, im-
pubium puerorũ contra saliuas aspidum, quas ptyadas uocant, quoniam uenena in ocu-
los hominum expuant: Contra oculorum albugines, obscuritates, cicatrices, argema, pal-
pebras, & cum erui farina contra adustiones, contra aurium pura, uermiculosq;, si deco-
quatur ad dimidias partes cum porro capitato nouo fictili. Vaporatio quoq; ea menses
fœminarum ciet. Salpe fouet illa oculos firmitatis causa: illinit sole usta, cum oui albumi-
ne, efficacius struthiocameli, binis horis. Hac & atramenti lituræ abluuntur. Virilis poda-
gris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant. Veteri miscetur 10
cinis ostreorum, aduersus eruptiones in corpore infantium, & omnia ulcera manantia.
Ea exesis, ambustis, sedis uitijs, rhagadijs, & scorpionum ictibus illiuitur. Obstetricum
nobilitas non alio succo efficacius curari pronunciauit corporum pruritus nitro addito,
ulcera capitum, porrigines, nomas, præcipue genitalium. Sua cuique autem (quod fas sit
dixisse) maxime prodest, confestim perfuso canis morsu, echinorumq; spinis inhærenti-
bus, & in spongia lanisue imposita: aut aduersus canis rabidi morsus, cinere ex ea suba-
cto: Contraq; serpentiũ ictus. Nam contra scolopendras mirum proditur, uertice tacto
urinæ suæ gutta, liberari protinus læsos. Auguria ualetudinis ex ea tradũtur. Si mane can
dida, dein ruffa sit: illo modo concoquere, hoc concoxisse significatur. Mala signa rubræ,
pessima nigræ: Mala bullantis & crassæ: in qua quod subsidit si album est, significat circa 20
articulos aut uiscera dolorem imminere. Eadem uiridis, morbum uiscerum, pallida bilis,
rubens sanguinis. Mala & in qua ueluti furfures atq; nubeculæ apparent. Diluta quoque
alba uitiosa est: mortifera uero crassa, graui odore: & in pueris tenuis ac diluta. Magi ue-
tant eius causa cõtra solẽ lunamq; nudari, aut umbrã cuiusq; ab ipsa respergi. Hesiodus
iuxta obstantia reddi suadet, ne deũ aliquem nudatio offendat. Hosthanes contra mala
medicamenta omnia promisit auxiliari, matutinis horis suã cuiq; instillatam in pedem.

De remedijs muliebribus. Cap. VII

QVæ ex mulierum corporibus traduntur, ad portentorum miracula accedunt, ut si-
leamus diuisos membratim in scelera abortus, mensium piacula, quæq; alia nõ ob-
stetrices modo, uerumetiã ipsæ meretrices prodidere. Capilli si crementur, odore serpen- 30
tes fugari. Eodem odore uuluæ morbo strangulatas respirare. Cinere eo quidem, si in te-
sta sint cremati, uel cum spuma argenti, scabricias oculorũ ac prurigines emendari. Item
uerrucas, & infantium ulcera cum melle. Capitis quoque uulnera, & omnium ulcerum
sinus, addito melle ac thure. Panos, podagras, cum adipe suillo sacrum ignem, sangui-
nemq; sisti ilico, & formicationes corporum. De lactis usu conuenit dulcissimum esse
mollissimumq;, & in longa febre cœliacisq; utilissimum, maxime eius quæ iam infantem
remouerit. Et in malacia stomachi, in febribus, torsionibus efficacissimum experiuntur.
Item mammarum collectionibus cum thure, oculo ab ictu cruore suffuso, & in dolore
aut epiphoris si immulgeatur, plurimum prodest: magisq; cum melle & narcissi succo,
aut thuris polline. Semperq; in omni usu efficacius eius quæ marem enixa sit: multoq; 40
efficacissimum eius quæ geminos peperit mares, & si uino ipsa cibisq; acrioribus absti-
neat. Mixto præterea ouorum candido liquore, madidaq; lana frontibus impositum, flu
xiones oculorum suspendit. Nam si rana saliua sua oculum asperserit, præcipuum est re-
medium. Et contra morsum eiusdem bibitur, stillaturq;. Qui simul matris filiæq; lacte
inunctus sit, liberari oculorum metu in totam uitam affirmant. Aurium quoq; uitijs me-
detur, modice admixto oleo: aut si ab ictu dolent, anserino adipe tepefactum. Si odor
grauior sit, ut plerunq; fit longis uitijs, diluto melle lana includitur. Et contra morbum
regium in oculis relictum, instillatur cum elaterio. Peculiariter ualet potũ contra uenena,
quæ data sunt è marino lepore buprestiq;, ut Aristoteles tradit, dorycnion. Et contra insa

niam

niam,quæ facta ſit hyoſcyami potu. Podagris quoque iubent illini cum cicuta. Alij cum
œſipo & adipe anſerino,qualiter etiam uuluarum doloribus imponitur. Aluum etiam ſi-
ſtit potum,ut Rabirius ſcribit.Et menſes ciet.Eius uero quæ fœminam enixa ſit, ad uitia
tantum in facie ſanãda præualet.Pulmonum quoque incommoda lacte mulieris ſanan-
tur,cui ſi admiſceatur impubis pueri urina & mel atticum,omnia ſingulorum cochleariũ
mẽſura,murmura quoque aurium eijci inuenio.Eius quæ marem peperit, lacte guſtato,
canes rabioſos fieri negant.Mulieris ſaliuam quoque ieiunæ potentem dijudicant oculis
cruentatis. Et ſi contra epiphoras, feruentes anguli oculorum ſubinde madefiant: effica-
cius,ſi cibo uinoq; ſe pridie ea abſtinuerit.Inuenio & faſcia mulieris alligato capite,dolo
10 res minui. Poſt hæc nullus eſt modus. Iam primum abigi grandines turbinesq;, contra
fulgura ipſa in menſe connudata,ſic auerti uiolentiam cœli. In nauigando quidem tempe
ſtates etiam ſine mẽſtruis.Ex ipſis uero menſibus monſtrificis aliàs uti ſuo loco indicaui-
mus,dira & infanda uaticinantur:E quibus dixiſſe non pudeat,ſi in defectu lunæ ſolisue
congruat uis illa, irremediabilem fieri : non ſegnius & ſilente luna, coitusq; tum maribus
exitiales eſſe atque peſtiferos. Purpuram quoque ab his eo tempore pollui. Tanto uim
eſſe maiorem. Quocunque autem alio menſtruo,ſi nudatæ ſegetem ambiant, erucas ac
uermiculos ſcarabeosq; ac noxia alia decidere.Metrodorus Scepſius in Cappadocia in-
uẽtum prodit,ob multitudinem cantharidum.Ire ergo per media arua,retectis ſuper clu-
nes ueſtibus. Alibi ſeruatur, ut nudis pedibus eant, capillo cinctuque diſſoluto . Cauen-
20 dum ne id oriente ſole faciant,ſementem enim areſcere. Item nouellas uites eius tactu in
perpetuũ lædi: rutam & ederas res medicatiſſimas ilico mori. Multa diximus de hac uio-
lentia.Sed præter illa certum eſt,apes tactis aluearijs fugere,linaq; cum coquantur nigre
ſcere,aciem in cultris tonſorum hebeteſcere, æs contactum graue uirus accipere & ærugi-
nem,magis ſi decreſcẽte luna id accidat:equas,ſi ſint grauidæ,tactas abortum pati: Quin
& aſpectu omnino , quamuis procul uiſas , ſi purgatio illa poſt uirginitatem prima ſit,
aut in uirginea ætate ſpontanea.Nam bitumen in Iudæa naſcens,ſola hac ui ſuperari , fi-
lo ueſtis contactæ, docuimus. Ne igne quidem uincitur quo cuncta , cinisque etiam ille,
ſi quis aſpergat lauandis ueſtibus , purpuras mutat , florem coloribus adimit , ne ipſis
quidem fœminis malo ſuo inter ſe immunibus.Abortum facit illitus, aut ſi omnino præ-
30 gnans ſupergrediatur. Quæ Lais & Elephantis inter ſe contraria prodidere de abortiuis,
carbone è radice braſſicæ uel myrti uel tamaricis in eo ſanguine extincto : item aſinas nõ
concipere tot annis,quot grana hordei contacta ederint:quæque alia nuncupauere mon
ſtrifica,aut inter ipſas pugnantia,cum hæc fœcunditatẽ fieri ijſdem modis quibus illa ſte
rilitatem pronunciaret,melius eſt nõ credere.Bythus Dyrrachinus hebetata aſpectu ſpe
cula recipere nitorem tradit,ijſdem auerſa rurſus contuentibus : omnemq; uim talem re-
ſolui,ſi mullum piſcem ſecũ habeant.Multi uero ineſſe etiam remedia tanto malo aiunt.
Podagras illini,ſtrumas,& parotidas,panos,ſacros ignes,furũculos , epiphoras tractatu
earum mulierum leniri. Lais & Salpe canũ rabioſorum morſus,& tertianas quartanasq;
febres,menſtruo in lana arietis nigri,argenteo brachiali incluſo.Diotimus Thebanus,ue
40 ſtis omnino ita infectæ portiuncula,ac uel licio,brachiali inſerta. Sotira obſtetrix, tertia-
nis quartanisq; efficaciſſimum dixit plantas ægri ſubterlini:multóque efficacius , ab ipſa
muliere,& ignorãti.Sic & comitiales excitari. Icetidas medicus quartanas coitu finiri, in-
cipientibus duntaxat menſtruis , ſpopondit. Inter omnes uero conuenit,ſi aqua potusq;
formidetur à morſu canis, ſuppoſita tantum calici lacinia tali , ſtatim metum eum diſcu-
ti , uidelicet præualente ſympathia illa Græcorum , cum rabiem canum eius ſanguinis
guſtatu incipere dixerimus , Cinere eo iumentorum omnium ulcera ſanari certum eſt,
addita caminorum farina & cera . Maculas autem è ueſte eas , non niſi eiuſdem urina
elui . Cinerem per ſe roſaceo mixtum , fœminarum præcipue , capitis ſedare dolores il-
litum fronti. Aſperrimamque uim profluuij eius eſſe primis annis uirginitate reſoluta.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171286-p0545-3 DFG

Id quoq; conuenit, quo nihil equidem libentius crediderim, tactis omnino menstruo pó stibus, irritas fieri magorum artes, generis uanissimi, ut æstimare licet. Ponã enim uel mo destissimum è promissis eorum: Ex homine siquidẽ resegmina unguium è pedibus ma nibusq; cera permixta, ita ut dicatur tertianæ, uel quotidianæ uel quartanæ febri remedi um quæri, ante solis ortũ alienæ ianuæ affigi iubent, ad remedia in ijs morbis: quanta ua nitate si falsum est, quantaue noxa, si transferunt morbos ad innocẽtiores? Ex his omniũ digitorum resegmina unguium, ad cauernas formicarum abijci iubẽt, eamq; quæ prima cœperit trahere, correptam subnecti collo, ita discuti morbum.

Medicinæ ex animalibus peregrinis, de elephanto, & leone, & camelo, & hyæna, & crocodilo, & chamæleonte, & scinco, & hip popotamo, & lyncibus. Cap. VIII. 10

HÆc sunt quæ retulisse fas sit, ac pleraq; ex ijs nõ nisi honore dicto. Reliqua intesta bilia & infanda, ut festinet oratio ab homine fugere. In cæteris claritates animalium aut operũ sequemur. Elephanti sanguis præcipue maris fluxiones omnes, quas rheuma tismos uocant, sistit. Ramentis eboris cum melle attico (ut aiunt) nubeculæ in facie, scobe paronychia tollũtur. Proboscidis tactu capitis dolor leuatur, efficacius si & sternuat. De xtra pars proboscidis cum Lemnia rubrica adalligata, impetus libidinum stimulat. San guis & syntecticis prodest, iecurq; comitialibus morbis. Leonis adipes cum rosaceo, cu tem in facie custodiũt à uitijs, candoremq; seruãt, & sanãt adusta niuibus, articulorumq; tumores. Magorum uanitas peruncti s eo adipe, faciliorem gratiam apud reges populós 20 ue promittit: præcipue tamen eo pingui quod sit inter supercilia, ubi esse nullum potest. Similia dentis, maxime à dextra parte, uilliq; è rostro inferiori, promissa sunt. Fel aqua addita, claritatem oculis inunctis facit. Et cum adipe eiusdem, comitiales morbos discu tit, leui gustu, & ut protinus qui sumpsere cursu id digerant. Cor in cibo sumptum, quar tanis medetur. Adeps cũ rosaceo quotidianis febribus. Peruncto s eo bestiæ fugiunt. Re sistere etiam insidijs uidetur. Cameli cerebrum arefactum, potumq; ex aceto, comitia libus morbis aiunt mederi: Item fel cum melle potũ: hoc & anginæ. Cauda arefacta sol ui aluum. Fimi cinere crispari capillum cum oleo. Et dysentericis prodest illitus cinis, po tusq; quantum trinis digitis capitur, & comitialibus morbis. Vrinam fullonibus utilissi mam esse tradunt: itemq; ulceribus manantibus. Barbaros cõstat eam seruare quinquen 30 nio & heminis pota ciere aluum. Setas è cauda contortas, & sinistro brachio adalligatas, quartanis mederi. Hyænam magi ex omnibus animalibus in maxima admiratione po suerunt, utpote cui & ipsi magicas artes dederint, uimq;, qua alliciat ad se homines mente alienatos. De permutatiõis sexus annua uice diximus, cæteraq; de mõstrifica natura eius: Nunc persequemur quæcunque medicinis produntur. Præcipue pãtheris terrori esse tra duntur, ut ne conentur quidem resistere: & aliquid de corio earum habentem non appe ti. Mirumque dictu, si pelles utriusque contrariæ suspendantur, decidere pilos pantheræ. Cum fugiant uenantem, declinare ad dextram, ut prægressi hominis uestigia occupent. Quod si successerit, alienari mente, ac uel ex equo hominem decidere. At si in læuam de torserit, deficientis argumentum esse, celeremq; capturam. Facilius autem capi, si cinctus 40 suos uenator, flagellumq; imperitans equo septenis alligauerit nodis. Mox, ut est solers ambagibus uanitas magorum, capi iubent geminorum signum transeunte luna, singu losq; propè pilos seruari. Capitis dolori alligatã cutem prodesse quæ fuerit in capite eius. Lippitudini fel illitũ frontibus. aut ne omnino lippiatur, decoctum cum mellis attici cya this tribus & croci uncia, inunctum: Sic & caligines discuti & suffusiones. Claritatem exci tari melius inueterato medicamẽto. Asseruari autem in Cypria pyxide. Eodem sanari ar gema, scabricias, excrescẽtia in oculis: Itẽ cicatrices. Glaucomata uero iocineris recentis in assati sanie, cum despumato melle inunctis. Dentes eius dentiũ doloribus tactu prodes se, uel adalligatos ordine, humeros humerorũ & lacertorũ doloribus. Eiusdẽ dentes si de

sinistra

ſiniſtra parte roſtri eruti ſint, illigatos pecoris aut capri pelle, ſtomachi cruciatibus. Pulmones in cibo ſumptos cœliacis. Ventriculis, cinerem cum oleo illitũ. Neruis, medullas è dorſo cum oleo uetere ac felle. Febribus quartanis, iecur deguſtatum ter ante acceſſiones. Podagris, ſpinæ cinerẽ cum lingua & dextro pede uituli marini, addito felle taurino, omnia pariter cocta atq; illita hyænæ pelle. In eodem morbo prodeſſe & fel cũ lapide aſio. Tremulis, ſpaſticis, exilientibus, & quibus cor palpitet, aliquid ex corde mãdendum, ita ut reliquæ partis cinis cum cerebro hyænæ illinatur. Pilos etiam auferri hac compoſitione illita, aut per ſe felle, euulſis prius quos renaſci non libeat. Sic & palpebris inutiles tolli. Lumborum doloribus carnes è lumbis edendas illinẽdas q; cum oleo. Sterilitatem mulierum emendari, oculo cum glycyrrhiza & anetho ſumpto in cibo, promiſſo intra triduum cõceptu. Cõtra nocturnos pauores umbrarumq; terrorem unus è magnis dentibus lino alligatus ſuccurrere narratur. Furentes ſuffiri eodẽ, & circumligari ante pectus cum adipe renum, aut iocinere, aut pelle præcipiunt. Mulieri candida à pectore hyænæ caro, & pili ſeptem, & genitale cerui ſi illigentur dorcadis pelle, collo ſuſpenſa continere partus promittunt. Venerem ſtimulari, genitali ad ſexus ſuos in melle ſumpto, etiam ſi uiri mulierũ coitus oderint. Quin imo totius domus concordiã, eodem genitali & articulo ſpinæ cum adhærente corio adſeruatis, conſtare: quem ſpinæ articulum ſiue nodum atlantion uocant. Eſt autem primus. In comitialium quoque remedijs habent eum. Adipe accenſo, ſerpentes fugari dicunt. Maxillæ parte comminuta in aniſo, & in cibo ſumpta, horrores ſedari. Eodem ſuffitu mulierum mẽſes euocari. Tantumq; eſt uanitatis, ut ſi ad brachium adalligetur ſuperioris roſtri dextræ partis dens, iaculantium ictus deerraturos negent. Palato eiuſdem arefacto, & cum alumine Ægyptio calefacto, ac ter in ore permutato, fœtores & ulcera oris emendari. Eos uero, qui linguam in calceamento ſub pede habeant, nõ latrari à canibus. Siniſtra parte cerebri naribus illita, morbos perniciioſos mitigari, ſiue hominum, ſiue quadrupedum. Frontis corium faſcinationibus reſiſtere. Ceruicis carnes ſiue mandantur, ſiue bibantur, arefactæ, lumborum doloribus. Neruis à dorſo armisq;, ſuffiendos neruorum dolores. Pilos roſtri admotos mulierum labris, amatorium eſſe. Iecur potum, torminibus & calculis mederi. Iam cor in cibo potuſe ſumptum, omnibus doloribus corporum auxiliari: Lienem lienibus. Omentum, ulcerum inflammationibus cum oleo. Medullas, doloribus ſpinæ & neruorum, laſſitudini renum. Neruos potos in uino cum thure, fœcunditatem reſtituere ademptam ueneficio. Vuluam cum mali punici dulcis cortice in potu datã prodeſſe mulierũ uuluæ. Adipe è lumbis ſuffiri difficulter parientes, & ſtatim parere. E dorſo medullam adalligatam contra uanas ſpecies opitulari. Spaſticis, genitale è maribus ſuffitu. Item lippientibus, ruptis, & contra inflationes, ſeruatos pedes, tactu: læuos dextris partibus, dextros læuis. Siniſtrum pedem ſuperlatum parturienti, letalem eſſe: dextro illato, facile eniti. Membranam quæ fel cõtineat, cardiacis potam in uino, uel in cibo ſumptam, ſuccurrere. Veſicam in uino potam, contra urinæ incontinentiam. Quæ autem in ueſica inuenta ſit urina, additis oleo ex ſeſamo, & melle, hauſtam prodeſſe ægrimoniæ ueteri. Coſtarum primam & octauam, ſuffitu ruptis ſalutarẽ eſſe. Ex ſpina uero parturientibus oſſa. Sanguinem cum polenta ſumptum, torminibus. Eodem tactis poſtibus, ubicunque magorum infeſtari artes, non elici deos, nec colloqui, ſiue lucernis, ſiue pelui, ſiue aqua, ſiue pila, ſiue quo alio genere tententur. Carnes ſi edantur, contra canis rabidi morſus efficaces eſſe: etiamnum iecur efficacius. Carnes uel oſſa hominis, ſi quæ in uentriculo occiſæ inueniantur, ſuffitu podagricis auxiliari. Si ungues inueniãtur in his, mortem alicuius capientium ſignificari. Excrementa ſiue oſſa reddita cum interimitur, contra magicas inſidias pollere. Fimum quod in inteſtinis inuẽtum ſit, arefactum, ad dyſentericos ualere potum: illitumq; cum adipe anſerino opitulari toto copore læſis malo medicamento, à cane uero morſis adipem illitum, & corium ſubſtratum. Rurſus tali ſiniſtri cinere decocto cum ſanguine muſtelæ, perunctos omnibus

odio uenire:Idem fieri oculo decocto.Super omnia est,quod extremam fistulam intesti
ni cõtra ducum,ac potestatum iniquitates cõmonstrant,& ad successus petitionum,iudi
ciorumq; ac litium euentus,si omnino tantum aliquis secum habeat.Eiusdem cauerna si
nistro lacerto religata,si quis mulierem respiciat,amatorium esse tam præsens, ut ilico se
quatur. Eiusdem loci pilorum cinerem ex oleo illitum uiris, qui sint probrosæ molliciei,
non modo pudicos,sed & seueros mores induere. Proxime fabulosus est crocodilus, in
genio quoque illo,cui uita in aqua terraq; cõmunis.Duo enim genera eorum: Illius è de
xtra maxilla dẽtes adalligati dextro lacerto,coitus(si credimus)stimulãt. Canini eius den
tes febres statas arcẽt thure repleti,sunt enim caui,ita ne diebus quinq; ab ægro cernatur
qui adalligauerit.Idem pollere & uentre exemptos lapillos,aduersus febriũ horrores ue 10
nientes tradunt.Eadem de causa Ægyptij perungũt & adipe ægros suos.Alter illi similis,
multum infra magnitudinẽ,in terra tantum,odoratissimisq; floribus uiuit. Ob id intesti
na eius diligenter exquiruntur iucundo nidore farcta: Crocodileam uocant,oculorum ui
tijs utilissimã,cum porri succo inunctis,& contra suffusiones uel caligines.Illita quoq; ex
oleo cyprino,molestias in facie enascentes tollit,Ex aqua uero morbos omnes,quorũ na
tura serpit in facie,nitoremq; reddit.Lentigines tollit ac uaros,omnesq; maculas,Et con
tra comitiales morbos bibitur ex aceto mulso binis obolis.Apposita mẽses ciet.Optima
q; est,quæ cãdidissima & friabilis,minimeq; ponderosa:cũ teratur inter digitos, fermen
tescens.Lauatur ut cerusa.Adulterant amylo,aut cimolia,sed maxime, qui captos oryza
tantum pascunt.Felle inunctis oculis ex melle contra suffusiones nihil utilius prædicant. 20
Intestinis & reliquo corpore eius suffiri uulua laborãtes salutare tradunt.Item uelleribus
circundari uapore eius infectis. Corij utriusque cinis ex aceto illitus his partibus quas se
cari opus sit,aut nidor cremati sensum omnem scalpelli aufert. Sanguis utriusque clarita
tem uisus inunctis donat,& cicatrices oculorum emendat. Corpus ipsum excepto capite
pedibusq;,elixum manditur ischiadicis:tussimq; ueterem sanat,præcipue in pueris: item
lumborũ dolores.Habent & adipem, quo tactus pilus defluit. Hic perunctos à crocodi
lis tuetur,instillaturq; morsibus.Cor annexũ in lana ouis nigræ, cui nullus alius color in
cursauerit,& primo partu genitæ, quartanas abigere dicitur. Iungemus illis simillima &
peregrina æque animalia,priusq; chamæleontem, peculiari uolumine dignum existima
tum Democrito,ac per singula membra desecratũ,non sine magna uoluptate nostra, co 30
gnitis proditisq; mendacijs Græcæ uanitatis.Similis & magnitudine est supradicto cro
codilo,spinæ tantum acutiore curuatura, & caudæ amplitudine distans. Nullum animal
pauidius existimatur,& ideo uersicoloris esse mutationis.Vis eius maxima contra accipi
trum genus.Detrahere enim suprà uolantem ad se traditur, & uoluntariũ præbere lace
randum cæteris animalibus.Caput eius & guttur si roboreis lignis accendãtur, imbrium
& tonitruum cõcursus facere Democritus narrat:Item iecur in tegulis ustum.Reliqua ad
ueneficia pertinentia quæ dicit,quanquam falsa existimantes, omittemus, præterquam
ubi irrisu coarguendum. Dextro oculo, si uiuenti eruatur, albugines oculorum cum la
cte caprino tolli:Lingua adalligata,pericula puerperij.Eundem salutarem esse parturien
tibus si sit domi:si uero inferatur,perniciosissimũ.Linguam,si uiuenti exempta sit, ad iu 40
diciorum euentus pollere. Cor aduersus quartanas illigatum nigra lana primæ tonsuræ.
Pedem è prioribus dextrum, hyænæ pelle adalligatum sinistro brachio, contra latroci
nia terroresqúe nocturnos pollere.Item dextram mammillam contra formidines pauo
resqúe. Sinistrum uero pedem torreri in furno cum herba quæ etiam chamæleon uo
cetur,additoq; unguento in pastillos digeri:eos in ligneo uase conditos,præstare(si credi
mus)ne cernatur ab alijs qui habeat.Armum dextrum ad uincendos aduersarios uel ho
stes ualere,utiq; si abiectos eiusdem neruos calcauerint.Sinistrum,mirum, quibus mon
stris consecret,qualiter somnia quæ uelis & quibus uelis mittantur, putet referre. Omnia
ea dextro pede resolui:sicut sinistro latere lethargos,quos fecerit dextrum. Capitis dolo
res,in

res, inſperſo uino, in quo latus alterutrum maceratum ſit, ſanari. Fœminis ſiniſtri uel pedis cineri ſi miſceatur lac ſuillũ, podagricos fieri illitis pedibus. Felle glaucomata & ſuffuſiones corrigi propè creditur, tridui inunctione: Serpentes fugari ignibus inſtillato. Muſtelas cõtrahi in aquam coniecto. Corpore uero illito, detrahi pilos. Idẽ præſtare narrant iecur, cũ ranæ rubetæ pulmone illitũ. Præterea iocinere amatoria diſſolui. Melancholicos aũt ſanari, ſi ex corio chamæleõtis herbæ ſuccus bibatur. Inteſtina & ſimum eorum, cũ id animal nullo cibo uiuat, cum ſimiarum urina illita inimicorum ianuæ, odium omniũ hominum his conciliare. Cauda, flumina & aquarũ impetus ſiſti, ſerpentes ſoporari. Eadem medicata cedro & myrrha, illigatáque gemino ramo palmæ, percuſſam aquam diſcuti, ut
10 quæ intus ſint omnia appareant: utinamq; eo ramo contactus eſſet Democritus, quoniam ita loquacitates immodicas promiſit inhiberi. Palamq; eſt, uirum aliàs ſagacem & uitæ utiliſſimum, nimio iuuandi mortales ſtudio prolapſum. Ex eadem ſimilitudine eſt ſcincus, quem quidam terreſtrem crocodilum eſſe dixerunt, cãdidiore autem & tenuiore cute. Præcipua tamen differentia dinoſcitur à crocodilo, ſquamarum ſeta à cauda ad caput uerſa. Maximus Indicus, deinde Arabicus. Afferuntur ſalſi. Roſtrum eius & pedes in uino albo poti, cupiditates ueneris accendunt. Vtiq; cum ſatyrio & erucæ ſemine, ſingulis drachmis omnium, ac piperis duabus admixtis, ita ut paſtilli ſingularum drachmarũ bibãtur: per ſe laterum carnes obolis binis cum myrrha & pipere pari modo potæ, efficaciores ad idem creduntur. Prodeſt & contra ſagittarum uenena, ut Apelles tradit, antè po
20 ſteaq; ſumptus. In antidota quoque nobilia additur. Seſtius, plus quàm drachmæ põdere in uini hemina potum, perniciem afferre tradit. Præterea eiuſdẽ decocti ius cum melle ſumptum, uenerem inhibere. Eſt crocodilo cognatio quædam amnis eiuſdem, geminiq; uictus cum hippopotamo, repertore detrahendi ſanguinis, ut diximus. Plurimi autem ſuper Saiticam præfecturam. Huius corij cinis cum aqua illitus, panos ſanat: adeps frigidas febres: Item ſimum ſuffitu. Dentes è parte læua dolores dentium, ſcarificatis gingiuis. Pellis eius è ſiniſtra parte frontis in inguina adalligata, uenerem inhibet. Eiuſdem cinis alopecias explet. Teſticuli drachma ex aqua contra ſerpentes bibitur. Sanguine pictores utuntur. *Peregrinæ ſunt & lynces, quæ clariſſime omnium quadrupedum cernunt. Vngues earum omnes cum corio exuri efficaciſſime in Carpatho inſula tradunt.*
30 Hoc cinere poto, propudia uirorum: eiuſdem aſperſu fœminarũ libidines inhiberi: Item pruritus corporum: Vrina, ſtillicidia ueſicæ. Itaque eam protinus terra pedibus aggeſta obruere traditur. Eadem autem & iugulorum dolori monſtratur in remedio. Hactenus de externis. Nunc reuertemur ad noſtrum orbem: primumq; communia animalium remedia, atq; eximia dicemus.

Medicinæ communes ex feris animalibus, aut eiuſdem generis placidis. Lactis uſus & obſeruationes, & de caſeis, butyro, & adipe. Cap. IX

SIcuti de lactis uſu. Vtiliſſimum cuiq; maternum. Concipere nutrices exitioſum eſt: hi ſunt enim infantes qui coloſtrati appellãtur, denſato lacte in caſei ſpeciem. Eſt autem
40 coloſtra, prima à partu ſpõgioſa denſitas lactis. Maxime autẽ alit quodcunq; humanũ, mox caprinum: unde fortaſſis fabulæ Iouem ita nutritum dixere. Dulciſſimum ab hominis camelinum, efficaciſſimum ex aſinis. Magnorum animalium & corporũ, facilius redditur. Stomacho accommodatiſſimum caprinum, quoniam fronde magis quàm herba ueſcuntur. Bubulũ medicatius. Ouillum dulcius & magis alit, ſtomacho minus utile, quoniam eſt pinguius. Omne autem uernum aquatius æſtiuo, & de nouellis: Probatiſſimum uero quod in ungue hæret, nec defluit, Innocentius decoctũ, præcipue cum calculis marinis. Aluus maxime ſoluitur bubulo. Minus inflat quodcunq; decoctum. Vſus lactis ad omnia intus exulcerata, maxime renes, ueſicam, interanea, fauces, pulmones. Foris pruritum cutis, eruptiones pituitæ, poſt abſtinentiam. Nam ut in Arcadia bubulum biberent

phthisici syntecticiq; & cachectæ,diximus in ratione herbarum. Sunt inter exẽpla, qui asininum bibendo liberati sint podagra chiragraue. Medici speciem unam addidere lactis generibus,quod schiston appellauere. Id fit hoc modo: Fictili nouo feruet caprinum maxime,ramisq; ficulneis recentibus miscetur,additis totidem cyathis mulsi quot sint heminæ lactis. Cum feruet ne circumfundatur præstat cyathus argẽteus cum frigida aqua demissus,ita ne quid fundat: Ablatum,deinde igni refrigeratione diuiditur, & discedit serum à lacte. Quidam & ipsum serum iam multo potentissimũ,decoquunt ad tertias partes,& sub dio refrigerant. Bibitur autem efficatissime heminis per interualla singulis diebus quinis: melius à potu gestari. Datur comitialibus,melancholicis,paralyticis, in lepris, elephantiasi,articularibus morbis. Infunditur quoque lac contra rosiones à medicamentis factas. Et si urat dysenteria,decoctum cum marinis lapillis, aut cũ ptisana hordeacea. Item ad rosiones intestinorum, bubulum aut ouillum utilius. Recens quoque dysentericis infunditur: ad colum autem crudum: Item uuluæ,& contra serpentium ictus: phthisicis,cantharidum,aut salamandræ,aut buprestis,aut pityocampes uenenis. Priuatim bubulum his qui colchicon biberint,aut cicutam,aut dorycnium,aut leporem marinum: sicut asininum contra gypsum,& cerusam,& sulphur,& argentum uiuum: Item duræ aluo in febri. Gargarizatur quoque faucibus exulceratis utilissime. Et bibitur ab imbecillitate uires recolligentibus,quos atrophos uocant: In febri etiã quæ careat dolore capitis. Pueris ante cibum,lactis asinini heminam dari,aut si in exitu cibi rosiones sentirẽt, antiqui in arcanis habuerunt: si hoc non esset,habuerũt è caprino. Bubuli serum orthopnoicis prodest ante cætera,addito nasturtio. Inunguntur etiam oculi,in lactis heminis sesamæ additis drachmis quatuor tritis in lippitudine. Caprino lienes sanantur, post bidui inediam tertia die edera pastis captis,per triduum poto sine alio cibo. Lactis usus aliâs contrarius capitis doloribus,hepaticis,spleneticis,neruorum uitio,febres habentibus, uertigini præterquam purgationis gratia,grauedini,tussientibus,lippis. Suillum utilissimum tenasmo, dysenteriæ,necnon phthisicis. Hoc & mulieri saluberrimũ qui dicerent fuerunt. De generibus caseorum diximus, cum de uberibus singulisq;e animalium membris diceremus. Sextius eosdem effectus equino quos bubulo tradit. Hunc uocant hippacem. Stomacho utiles,qui non sunt salsi,id est recentes. Veteres aluum sistunt,corpusq; minuunt. stomacho utiliores: & in totum salsa minuunt corpus, alunt mollia. Caseus recens cum melle,sugillata emendat,mollis aluum sistit. Sedat tormina pastillis in uino austero deco ctis, rursusq; in patina tostis cum melle. Sapron uocant, qui cum sale & sorbis siccis è uino tritus potusq; medetur cœliacis. Genitalium carbunculis caprinus tritus & impositus: Item acidus cum oxymelite. Maculis in balineo illitus oleo interlinitur. E lacte fit & butyrum,barbararum gẽtium laudatissimus cibus, & qui diuites à plebe discernat. Plurimum è bubulo,& inde nomẽ: pinguissimum ex ouibus. Fit & ex caprino, sed hyeme calefacto lacte, æstate expresso tantum, crebro iactatu in longis uasis,angusto foramine spiritum accipiẽtibus sub ipso ore,aliâs præligato. Additur paulum aquæ ut acescat. Quod est maxime coactum,in summo fluitat: id exemptum addito sale,oxygala appellãt. Reliqua decoquunt in ollis: Ibi quod supernatat, butyrum est, oleosum natura. Quod magis uirus resipit,hoc præstantius iudicatur. Pluribus compositionibus miscetur inucteratum. Natura eius astringere, mollire,replere,purgare. Oxygala fit & alio modo, acido lacte addito in recens quod uelis acescere, utilissimum stomacho. Effectus dicemus suis locis.

Proxima in communibus adipis laus est,sed maxime suilli, apud antiquos etiam religiosi. Certe nouæ nuptæ intrantes, etiamnum solenne habent postes eo attingere. Inueteratur duobus modis, aut cum sale, aut syncerus: tanto utilior, quanto sit uetustior. Axungiam etiam Græci appellauere in uoluminibus suis. Neque est occulta uirium causa, quoniam id animal herbarum radicibus uescitur. Itaque etiam fimo innumeri usus. Quamobrem non de alia loquimur sue, multo efficaciore fœmina, & quæ non peperit.

Multo

Mulro uero præstantior in apris est. Vsus igitur axungiæ est ad mollienda, excalfaciẽda, discutienda, purgandaq;. Medicorum aliqui admixto anseris adipe, taurorumq; seuo & œsipo, ad podagras uti iubent. Si uero permaneat dolor cũ cera, myrto, resina, pice. Syncera axungia medetur ambustis uel niue. Pernionibus autem cum hordei cinere & galla pari modo. Prodest & confricatis membris. Itinerumq; lassitudines & fatigationes leuat. Ad tussim ueterem recens decoquitur quadrantis pondere in uini cyathis tribus addito melle. Vetus etiam phthisin in pilulis sumpta sanat quæ sine sale inueterata est. Omnino enim non nisi ad ea quæ purganda sint, aut quæ non sint exulcerata, salsa petitur. Quidam quadrãtes axungiæ & mulsi in uini cyathis tribus decoquunt contra phthises, quin
10 toq; die picem liquidam in ouo sumi iubent, circumligatis lateribus, & pectoribus, & scapulis eorum qui phthisin sentiunt. Tantaq; est uis, ut genibus etiam adalligata, redeat in os sapor, eamq; expuere uideantur. E sue quæ non pepererit, aptissime utuntur ad cutem mulieres. Contra scabiem uero quiuis, admixto iumentorum seuo, pro parte tertia, & pice, pariterq; subferuefactis. Syncera partus in abortum uergentes nutrit, collyrij modo subdita. Cicatrices concolores facit cerusa admixta, uel argenti spuma. At cum sulphure, unguium scabricias emendat. Medetur & capillo fluenti: Et ulceribus in capite mulierum cum gallæ parte quarta: Et infumata pilis oculorum. Datur & phthisicis unciatim, cum uini ueteris hemina decocta, donec tres unciæ è toto residant. Alij & mellis exiguum adiici
unt. Panis illinitur cum calce, Item furunculis duritiæq; mammarum. Rupta & conuulsa,
20 & spasmata, & luxata sanat. Clauos & rimas calliq́ue uitia, cum elleboro albo: Parotidas admixta farina salsamentariæ testæ: quo genere proficit & ad strumas. Pruritus & papulas in balineo peruunctis tollit, alioq; etiamnum modo podagricis prodest mixto oleo uetere, contrito unà sarcophago lapide, & quinquefolio tuso in uino, uel cum calce, uel cũ cinere. Facit & peculiare emplastrum LXXXV. pondo, centũ spumæ argenteæ mixtis. Vtilissimum contra inflammationes ulcerũ adipe uertino confici, & inungi putant utile: ijsq; quæ serpant, illinire cum resina. Antiqui maxime axibus uehiculorum perungẽdis, ad faciliorem circumactum rotarum utebãtur: unde nomen: sic quoque utili medicina cum illa ferrugine rotarum ad sedis uitia uirilitatisq;. Et per se axungiam medici antiqui maxime probabant renibus detractam, & exemptis uenis aqua cœlesti fricabant crebro, deco
30 quebãtq; fictili nouo sæpius, tum demũ asseruantes. Conuenit salsam magis emollire, excalfacere, discutere, utilioremq; esse uino lotam. Massurius palmam lupino adipi dedisse antiquos tradit. Ideo nouas nuptas illo perungere postes solitas, ne quid mali medicamẽti inferretur. Quæ ratio adipis, eadẽ in bis quæ ruminant seui est, alijs modis nõ minoris potẽtiæ. Perficitur omne, exẽptis uenis aqua marina uel salsa lotũ, mox in pila tusum, asper sum marina. Crebro postea coquitur, donec odor omnis aboleatur. Mox assiduo sole ad cãdorẽ reducitur. A renibus aũt omne laudatissimũ est. Si uero uetus reuocetur ad curã, liquefieri prius iubẽt. Mox frigida aqua lauari sępius, dein liquefacere affuso uino quàm odoratissimo. Eodemq; modo iterũ ac sępius coquũt, donec uirus euanescat. Multi priuatim sic taurorũ, leonũq;, ac pãtherarũ, & camelorũ pinguia curari iubẽt. Vsus dicetur suis
40 locis. Cõmunis & ratio medullarũ est. Omẽs molliũt, explẽt, siccãt, excalfaciũt. Laudatissima ceruina, mox uitulina, dein hircina & caprina. Curãtur ante autumnũ recentes lotæ, siccataq; in umbra per cribrum. Dein liquatæ per lintea exprimuntur, ac reponũtur in fictili locis frigidis. Inter omnia aũt cõmunia animaliũ, fel pręstãtius in effectu. Est em̃ uis eius excalfacere, mordere, scindere, extrahere, discutere. Minorũ animaliũ subtilius intelligitur, & ideo ad oculorũ medicamẽta utilius existimat. Taurino præcipua potẽtia, etiã in ęre pellibusq; colore aureo ducẽdis. Omne aũt curat recẽs pręligato ore lino crasso, demissum in feruentẽ aquã semihora, mox siccatũ sine sole, atq; in melle cõditũ. Dãnatur equinum tantũ inter uenena, ideo flamini sacro equũ tãgere nõ licet, cũ Romæ publicis sacris equus etiã immoletur. Quin & sanguis eorũ septicã uim habet. Item equarũ præterq; uir

ginum erodit,emarginat ulcera. Taurinus quidē recens inter uenena est, excepta Ægira. Ibi enim sacerdos Terræ uaticinatura,tauri sanguinem bibit priusquam descendat in specus. Tātū potest sympathia illa de qua loquimur,ut aliquādo religione uel loco fiat. Drusus tribunus plebis tradit caprinū bibisse, cū pallore & inuidia ueneni sibi dati insimulare Q. Cepionem inimicum uellet. Hircorū sanguini tanta uis est, ut ferramentorum subtilitas non aliter acrius induretur,scabricia tollatur uehementius quàm lima. Non igitur & sanguis animalium inter cōmunia dici potest,& ideo quisq; suis dicetur effectibus. Digeremus enim in animalia singula usus, plurimumq; cōtra serpentes. Exitio his esse ceruos nemo ignorat,ut si quæ sunt,exactas cauernis mandentes. Nec uero ipsi spirantesq; tantum aduersantur,sed membratim quoq;. Fugari eas nidore cornus si uratur, dictum est. 10 At è summo gutture ustis ossibus,congregari dicuntur. Pelles eiusdem animalis substratæ,securos præstant ab eo metu somnos. Coagulum quoq; ex aceto potum ab ictu: & si omnino tractatum sit,eo die non ferit serpens. Testes quoq; eius inueterati, uel genitale maris,salutariter dantur in uino: Item uentres qui centipelliones uocātur. Fugiūt & omnino dentem cerui habentes,aut medulla perunctos seuóue cerui aut hinuli. Summis autē remedijs prefertur hinulei coagulū,in matris utero execti,ut indicauimus. Sanguine quoq; ceruino, si unà urantur dracontion & cunilago & anchusa lentisci ligno, contrahi serpentes dicūt. Dissipari deinde, si sanguine detracto adijciatur pyrethrum. Inuenio apud autores græcos animal ceruo minus, & pilo demum simile,quod ophion uocatur. Sardiniam id tantum ferre solitam. Hoc interijsse arbitror. Et ideo medicinas ex eo omitto. 20

Medicinæ de apro,& capris,& equis feris,& remedia ex bestijs contra omnes morbos. Cap. x

APri quoq; cerebrum contra eas laudatur cum sanguine. Iecur etiam inueteratum cū ruta potum ex uino. Item adeps cum melle resinaq;. Simili modo uerrinum iecur, exemptis duntaxat fibris,quatuor obolorum pondere,uel cerebrum in uino potum. Caprarum cornu uel pilis accensis,fugari serpentes dicūt: cineremq; eorum potum uel illitū contra ictus ualere: Item lactis haustus cum uua taminia,uel urinæ cū aceto scillitico: Caseum caprinum cū origano impositū,uel seuum cum cera. Milia preterea remediorum ex eo animali demōstrātur,sicut apparebit: quod equidē miror,cū febri negetur carere. Amplior potentia feris eiusdem generis,quod numerosissimū esse diximus. Alia uero ex hircis. 30 Democritus etiamnum effectus auget eius,qui singularis natus sit. Fimum quoq; caprarū in aceto decoctū,& illitū in ictus serpētium, placet & recentis cinis in uino: Atq; in totū,difficilius se recolligentes à serpentium ictu, in caprilibus optime conualescunt. Qui efficacius uolunt mederi,occisæ caprę aluum dissectam cum fimo intus reperto statim illigant. Alij carnem recentem hœdorum pilo suffiunt, eodemq; nidore fugant serpentes. Vtuntur & pelle eorum recente ad plagas,carne & fimo equi in agro pasti,coagulo leporis ex aceto,contraq; scorpionē & murem araneum. Aiunt autē non feriri leporis coagulo perunctos. A scorpione percussis,fimū capræ efficacius cum aceto decoctū auxiliatur. Lardum iusq; decocti potū his,qui bupreſtim hauserint. Quinetiā si quis asino in aurem percussum à scorpione se dicat, transire malum protinus tradunt: uenenataq; omnia accenso eius pulmone fugere. Et fimo uituli suffiri percussos à scorpione prodest. Canis rabidi morsu facta uulnera circūcidunt ad uiuas usq; partes quidam,carnemq; uituli admouent,& ius ex eodē carnis decoctæ dant potui,aut axungiā cum calce tusam. Laudāt hirci iecur,quo imposito,ne tentari quidē aquæ metu affirmāt. Laudant & capræ fimū ex uino illitū,aut melle: Melis,& cuculi,& hirundinis decoctū & potum. Ad reliquos bestiarū morsus,caprinū caseum siccum cum origano imponunt,& bibi iubent: Ad hominis morsus carnē bubulam coctam. Efficacius uituli, si non ante quintū diem soluant. Veneficijs rostrū lupi resistere inueteratū aiunt,ob idq; uillarū portis præfigūt. Hoc idem præstare & pellis è ceruice solida existimatur: quippe tanta uis est animalis, præter ea quæ retulimus,ut 40



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171286-p0552-1 DFG

mus,ut uestigia eius calcata equis afferant torporem. Iis qui argētum uiuum biberint,lardum remedio est.Asinino lacte poto uenena restinguuntur.Peculiariter si hyoscyamum potum sit,aut uiscum,aut cicuta,aut lepus marinus,aut opocarpathum,aut pharicon, aut dorycnium,& si coagulum alicui nocuerit,nam id quoq; uenenū est in prima lactis coagulatione.Multos eius & alios usus dicemus.Sed meminisse oportebit recenti utendum, aut nō multo postea tepefacto.Nullum enim celerius euanescit.Ossa quoq; asini confracta & decocta,contra leporis marini uenenum dantur. Omnia eadem onagris efficaciora.De equiferis non scripserunt Græci,quoniam terræ illæ non gignebant. Veruntamen fortiora omnia eadē ęq; in equis intelligi debēt.Lacte equino uenena leporis marini & to
10 xica expugnātur.Nec uros aut bisontes habuerunt Græci in experimentis,quāquam boue fero refertis Indiæ syluis, portione tamē eadem efficaciora omnia ex his credi par est. Sic quoq; lacte bubulo cuncta uenena expugnari tradūt,maxime supradicta,& si ephemerū impactū sit,aut si cantharides datæ,uomitione omnia egeri:Sic & caprino iure cantharides.Contra ea uero quæ exulceratione enecant,seuum uitulinum seu bubulum auxiliatur. Nam contra sanguisugas potas butyrum remedio est, cum aceto ferro calefacto: quod & per se prodest contra uenena.Nam si oleum nō sit,uicem eius repræsentat.Multipedum morsus cum melle sanat.O masi quoque iure poto uenena supradicta expugnari putant.Priuatim uero aconita & cicutas:Itemq; uitulino seuo . Caprinus caseus recens, his qui uiscum biberint: Lac uero contra cantharidas remedio est, & contra ephemerum
20 potum cum taminia uua.Sanguis caprinus decoctus cum medulla contra toxica uenena sumitur:hœdinus contra reliqua,Coagulum hœdi contra uiscum , & chamæleontem album,sanguinemq; taurinum,contra quem & leporis coagulum ex aceto. Contra pastinacam uero & omnium marinorum ictus uel morsus,coagulū leporis,uel hœdi,uel agni, drachmæ pondere ex uino.Leporis coagulum & contra uenena additur antidotis.Papilio quoq; lucernarum luminibus aduolans,inter mala medicamēta numeratur.Huic contrarium est iecur caprinum,sicut fel ueneficijs ex mustela rustica factis.

## *De remedijs ad morborum multa genera ex animalibus.* Cap. XI

HInc deinde reuertemur ad genera morborum.Capilli defluuia ursinus adeps admixto ladano & adianto continet,alopeciasq; emendat,& raritatem superciliorū cum
30 fungis lucernarum,ac fuligine quæ est in rostris earum. Porrigini cum uino prodest. Ad hanc & cornus ceruini cinis è uino, utq; non tædia animalium capillis increscant. Item fel caprinum cum creta cimolia & aceto,sic ut paululum capilli inarescant: Item fel hircinum cum urina tauri.Si uero uetus sit,etiam furfures adiecto sulphure emendat. Cinere genitalis asini,spissari capillum putant , & è canitie uindicari si rasis illinatur, plumboq; tritus cum oleo.Densari & asinini pulli cum urina, admiscentq; nardum fastidij gratia. Alopecias felle taurino cum Ægyptio alumine tepefactis illinunt.Capitis ulcera manantia, urina tauri efficaciter sanat:Item hominis uetus,si cyclaminum adijciatur & sulphur. Efficacius tamen & uitulinum fel:quo cum aceto calefacto,& lendes tolluntur.Seuum uitulinū
40 cum sale tritum,capitis ulceribus utilissimum. Laudatur & uulpium adeps, sed præcipue fel,& fimum cum sinapi,pari modo illitum. Caprini cornus farina uel cinis, magisq; hircini addito nitro & tamaricis semine,& butyro oleoq;,prius capite raso , mire cōtinent ita fluentē capillū.Sicut & canis cinere ex oleo illito supercilia nigrescunt . Lacte caprino lendes tolli tradunt:fimo cum melle alopecias expleri:Item ungularū cinere cum pice,fluentem capillum cōtineri.Leporinus cinis cum oleo myrteo,capitis dolores sedat: Item aqua pota,quæ è bouis aut asini potu relicta est:& si credimus,uulpis masculę genitale circumligatum:cornus ceruini cinis illitus ex aceto uel rosaceo , aut ex irino. Oculorum epiphoras bubulo seuo cum oleo cocto illinunt : Ceruini cornus cinere scabricias eorū inungūt, mucrones autem ipsos efficaciores putant . Lupi excrementis cicumlini suffusiones,

prodest

prodeſt. Cinere eorum cum Attico melle inungi obſcuritates: Item felle urſino. Epinycti das, adipe aprino cum roſaceo. Vngulæ aſininæ cinis inunctus è ſuo lacte, cicatrices oculorum, & albugines tollit. Medulla bubula ex dextro crure priore trita cum fuligine, pilis, & palpebrarum uitijs angulorumq́ occurrit: calliblepharicq́ modo fuligo in hoc uſu temperatur: optime ellychnio papyraceo oleoq́ ſeſamino, fuligine in nouo uaſe pennis deterſa. Efficaciſſime tamen euulſos ibi pilos coërcet. Felle tauri cum oui albo, collyria fiunt, aquaq́ diſſoluta inunguntur per quatriduum. Seuum uituli cum anſeris adipe & ocimi ſucco, genarum uitijs aptiſſimum eſt. Eiuſdem medullæ cũ pari pondere ceræ & olei uel roſacei, addito ouo, duritiæ genarũ illinũtur. Caſeo molli caprino impoſito ex aqua calida epiphoræ ſedantur: ſi tumor ſit, ex melle. Vtrũq́ uero ſero calido fouendum. Sicca lippitudo, lumbulis ſuum toſtis atq́ cõtritis, & impoſitis tollitur. Capras negant lippire, quoniam eæ quaſdã herbas edant: Item dorcades. Et ob id ſimum earum cera circundatum noua luna deuorare iubent, & quoniã noctu æque quoq́ cernant. Sanguine hircino ſanari luſcioſos putãt: nyctalopas à Græcis dictos: Capræ uero iocinere, in uino auſtero decocto. Quidam inaſſati iocineris ſanie inungunt, aut felle capræ, carnesq́ eas ueſci, & dum coquantur oculos uaporari præcipiunt. Id quoque referre arbitrantur, ſi rutili coloris fuerint. Volunt & oculos ſuffiri, iocinere in ollis decocto: quidam inaſſato. Fel quidem caprinum pluribus modis aſſumunt: cum melle, contra caligines: cum ueratri candidi tertia parte, contra glaucomata: cum uino, contra cicatrices, & albugines, & caligines, & pterygia, & argema: ad palpebras uero euulſo prius pilo, cum ſucco oleris, ita ut inunctio inareſcat. Contra ruptas tuniculas, cum lacte mulieris. Ad omnia autem inueterata, fel efficacius putant. Nec abdicant ſimum ex melle illitum epiphoris contraq́ dolores medullam: Item pulmonem leporis. Sedat caliginem fel cum paſſo aut melle. Lupino quoque adipe, uel medulla ſuum, fricari oculos contra lippitudines præcipiunt. Nam uulpinam linguam habentes in armilla, lippituros negant. Aurium dolori & uitijs medetur urina apri in uitro ſeruata: Fel apri uel ſuis, uel bubulum, cum oleo cycino & roſaceo æquis portionibus. Præcipue uero taurinum, cum porri ſucco tepidum, uel cum melle ſi ſuppurent. Contraqúe odorem grauem per ſe tepefactum in malicorio. In ea parte rupta cum lacte mulierum efficaciter ſanat. Quidam etiam in grauitate aures ſic perluendas putant. Alij cum ſenecta ſerpentium & aceto includunt lanas, antè aqua calida collutas. Et ſi maior ſit grauitas aurium, fel cum myrrha & ruta in malicorio excalfactum infundunt: Lardum quoque pingue: Item ſimum aſini recens cum roſaceo inſtillatur: Omniaqúe ea tepefacta. Vtilior equi ſpuma, uel equini ſimi recentis cinis cum roſaceo. Seuum bubulum cum adipe anſerino: Butyrum recens. Vrina capri uel tauri, uel fullonia uetus calfacta, uapore per lagenæ collum ſubeunte. Admiſcent & aceti tertiam partem. Et aliquid urinæ uituli qui nondum herbam guſtauerit. Fimum etiam mixto felle eiuſdem. Et cutem quam relinquunt angues, excalfactis prius auribus. Lana autem medicamina ea includuntur. Prodeſt & ſæuum uituli cum anſeris adipe, & ocimi ſucco: eiuſdem medulla admixto cumino trito infuſa. Virus uerrinum è ſcropha exceptum priuſquam terram attingat, contra dolores. Auribus fractis glutinum è naturis uitulorum factum & in aqua liquatum. Alijs uitijs adeps uulpium. Item fel caprinum cum roſaceo tepido, aut porri ſucco: aut ſi ſint rupta ibi aliqua, è lacte mulieris. Si grauitas ſit audiendi, fel bubulum cum urina capræ, uel hirci, uel ſi pus ſit. In quocunque autem uſu putant hæc efficaciora in cornu caprino per dies uiginti infumata. Laudant & coagulum leporis tertia denarij parte, dimidiaqúe ſagapeni in aminæo uino. Parotidas urſinus adeps comprimit, pari pondere ceræ & taurini ſeui: addunt quidam hypociſthidem: & per ſe butyrum illitum, ſi prius foueantur fœnigræci decocti ſucco. Efficacius cum ſtrychno. Proſunt & uulpium teſtes, & taurinus ſanguis aridus tritus. Vrina capræ calefacta inſtillata auribus. Fimumq́ eiuſdem cum axungia illitum. Dentes mobiles confirmat

ceruini

ceruini cornus cinis, doloresq; eorum mitigat, siue infricentur, siue colluãtur. Quidam efficaciorem ad omnes eosdem usus crudi cornus farinam arbitrantur. Dentifricia utroq; modo fiunt. Magnum remedium est & in luporum capitis cinere. Certumq; est in excrementis eorum plerunq; inueniri ossa. Hæc adalligata eundem effectum habent. Item leporina coagula per aurem infusa contra dolores, Et capitis eorum cinis dentifricium est: Adiectoq; nardo mulcet graueolentiam oris. Aliqui murinorum capitum cinerem miscuisse malũt. Reperitur in latere leporis acui os simile, hoc scarificari dẽtes in dolore suadent. Talus bubulus accensus eos qui labant cum dolore admotus confirmat. Eiusdem cinis cum myrrha, dentifricium est. Ossa quoq; ex ungulis suum cõbusta, eundẽ usum præbent, Item ossa ex acetabulis pernarum circa quæ coxendices uertuntur. Iisdem sanari, dimissis in fauces, iumentorum uerminationes notum est: sed & combustis dentes cõfirmari. Asinino quoq; lacte percussu uexatos, aut dentium eiusdem cinere: Lichene item equi cum oleo infuso per aurem. Est autem hoc non hippomanes, quod alioqui noxium omitto, sed in equorum genibus, ac super ungulas. Præterea in corde equorũ inuenitur os, dentibus caninis maxime simile: hoc scarificari dolorẽ, aut exempto dente emortui equi maxillis ad numerum eius qui doleat demonstrant. Equarum uirus à coitu in lychnis accensum, Anaxilaus prodidit, equinorũ capitum uisus repræsentare monstrifice: Similiter ex asinis. Nam hippomanes tantas in ueneficio uires habet, ut affusum æris mixturæ in effigiem equæ Olympiæ, admotos mares equos ad rabiem coitus agat. Medetur dẽtibus & fabrile glutinum, in aqua decoctũ illitumq;, & mox paulo detractum, ita ut cõfestim colluãtur uino, in quo decocti sunt cortices mali punici dulcis. Efficax habetur & caprino lacte collui dentes, uel felle taurino. Talorum capræ recentium cinis, dentifricio placet, & omnium ferè uillaticarum quadrupedum, ne sæpius eadem dicantur.

Ad faciei uitia, ceruicis & pectoris morbos. Cap. XII

CVtem in facie erugari & tenerescere, & candorem custodire lacte asinino putãt. Notumq; est quasdam quotidie D. custodito numero fouere: Poppea hoc Neronis principis instituit, balinearum quoque sic solio temperato, asinarũ gregibus ob hoc eam comitãtibus. Impetus pituitæ in facie, butyro illito tolluntur: Efficacius cum ceruſa. Syncero uero ea uitia quæ serpũt, insuper imposita farina hordeacea. Vlcera in facie mẽbrana è partu bouis madida. Friuolum uideatur, non tamen omittẽdum, propter desideria mulierum: Talum candidi iuuenci, quadraginta diebus noctibusq;, donec resoluatur in liquorem decoctũ, & illitũ linteolo, cãdorem cutisq; erugationem præstare. Fimo taurino malas rubescere aiunt, nõ crocodileam illini melius, sed foueri frigida & ante & postea iubent. Æstates, & quæ decolorẽ faciunt cutem, fimũ uituli cum oleo & gummi manu subactũ emendat. Vlcera oris ac rimas, seuum uituli uel bouis cum adipe anseris & ocimi succo. Est & alia mixtura, seuo uituli cũ medulla cerui, & albæ spinæ foliis unà tritis. Idẽ præstat & medulla cum resina, uel si uaccina sit, iusq; è carne uaccina. Lichenas oris præstantissime uincit glutinũ, factũ è genitalibus uitulorum, liquatum aceto cum sulphure uiuo, ramo ficulneo permixtum, ita ut bis die recẽs illinatur. Item lepras ex melle & aceto decoctum, quas & iecur hirci calidũ illitum tollit: sicut elephantias in fel caprinũ: etiam num lepras ac furfures, tauri, uel addito nitro. Vrina asini circa canis ortum, maculas in facie: Fel utriusq; per sese aqua infractũ, euitatisq; solibus ac uẽtis post detractã cutem. Similis effectus in taurino seuo uitulinoũe felle, cum semine cunilæ ac cinere è cornu ceruino, si canicula exoriẽte cõburatur. Asinino seuo cicatricibus ac licheni leprisq; maxime color reditur. Hirci fel & lẽtigines tollit, admixto caseo ac uiuo sulphure spõgiæq; cinere, ut mellis sit crassitudo. Aliqui inueterato felle uti maluere, mixtis calidis furfuribus pondere oboli unius, quatuorq; mellis, prius defricatis maculis. Efficax eiusdem & seuum cum melanthio, & sulphure, & iride, Labrorum fissuris cum adipe anserino, ac medulla ceruina resinaqũe & calce. Inuenio apud authores, his qui lentiginem habeant negari magicæ sa-

gicæ ſacrificiorũ uſum. Lacte bubulo aut caprino tonſillæ & arteriæ exulceratæ leuantur: Gargarizatur tepidũ, ut eſt expreſſum, aut calefactũ. Caprinũ utilius, cũ malua decoctũ & ſale exiguo, Linguæ exulcerationi & arteriarũ prodeſt ius omaſi gargarizatu. Tõſillis autem priuatim renes uulpiũ aridi, cũ melle triti illitiq;. Anginæ fel taurinum uel caprinũ cũ melle. Iecur melis ex aqua oris grauitatem, ulceraq; butyrũ emendat. Spinam aliudúe quid faucibus adhærẽs, felis extrinſecus fimo perfricatis, aut reddi aut delabi tradũt. Strumas diſcutit fel aprinum, uel bubulum tepidum illitum. Nam coagulum leporis è uino in linteolo exulceratis dũtaxat imponitur. Diſcutit & ungulæ aſini uel equi cinis, ex oleo aqua illitus, & urina calefacta: Et bouis ungulæ cinis ex aqua: Fimum quoq; feruens ex aceto. Itẽ ſeuũ caprinũ cũ calce, aut fimũ ex aceto decoctũ, teſtesq; uulpini: Prodeſt & ſapo: 10
Gallorũ hoc inuentũ rutilãdis capillis, ex ſeuo & cinere. Optimus fagino & caprino, duobus modis, ſpiſſus ac liquidus: uterq; apud Germanos maiore in uſu uiris q; fœminis. Ceruicũ dolores butyro aut adipe urſino perfricãtur. Rigores bubulo ſeuo, quod & ſtrumis prodeſt cum oleo. Dolorem inflexibilem (opiſthotonon uocãt) leuat urina capræ auribus infuſa, aut fimum cum bulbis illitum. Vngues contuſos fel cuiuſcunq; animalis circumligatum. Pterygia digitorum fel taurinum, aqua calida diſſolutum. Quidam adijciũt ſulphur & alumen, pari pondere omnium. Tuſſim iecur lupi ex uino tepido ſanat: urſinumq; fel admixto melle: aut ex cornu bubuli ſummis partibus cinis: uel ſaliua equi, triduo potu eam mori tradunt: pulmo ceruinus cum gula ſua arefactus in fumo, dein tuſus ex melle quotidiano eclígmate. Efficacior eſt ad id ſubulo ceruorum generis. Sanguinem 20
expuentes, ceruini cornus cinis: coagulum leporis tertia parte denarij cum terra ſamia & uino myrteo potum ſanat. Eiuſdem fimi cinis in uino ueſperi potus, nocturnas tuſſeis: Pili quoq; leporis ſuffiti, extrahũt pulmonibus difficiles excreationes. Purulentas autem exulcerationes pectoris pulmonisq;, & à pulmone graueolentiam halitus, butyrũ efficaciſſime iuuat, cum pari modo mellis Attici decoctum donec ruffeſcat, & matutinis ſumptum ad menſuram ligulæ. Quidam pro melle, laricis reſinam addere maluerunt. Si ſanguis reijciatur, efficacem tradunt bubulũ ſanguinem, modice & cum aceto ſumptũ: Nam de taurino credere, temerarium eſt. Sed glutinum taurinũ tribus obolis cum calida aqua bibitur in uetere ſanguinis excreatione.

## Ad ſtomachi & lumborum dolores & renum uitia. Cap. XIIII 30

STomachum exulceratum lactis aſinini potus reficit: Item bubuli. Roſiones eius caro bubula admixto aceto & uino cocta. Rheumatiſmos cornus ceruini cinis. Sanguinis excreationes hœdinus ſanguis recens, ad cyathos ternos, cũ aceto acri pari modo feruẽs potus: Coagulum tertia parte ex aceto potum. Iocineris dolores, lupi iecur aridũ ex muſo: Aſininum iecur aridum cũ petroſelini partibus duabus, ac nucibus tribus, ac melle tritum, & in cibo ſumptũ: Sanguis hircinus cibo aptatus. Suſpirioſis ante omnia efficax eſt potus equiferorũ ſanguinis. Proxime lactis aſinini tepidi cũ bulbis decocti, ita ut ſerum ex eo bibatur, addito in tres heminas cyatho naſturtij albi, perfuſi aqua, deinde melle diluti. Iecur quoq; uulpinũ, aut pulmo, in uino nigro, aut fel urſinum in aqua, laxat meatus ſpirandi. Lumborũ dolores, & quæcunq; alia mollire opus ſit, urſino adipe perfricari con 40
uenit: cinerem aprini aut ſuilli fimi inueterati, aſpergi potione uini. Afferunt & magi ſua commenta. Primum omnium rabiem hircorum, ſi mulceatur barba, mitigari: eadem præciſa, non abire eos in alienum gregem. Huic admiſcẽt fimum caprinũ, & ſubdito lintheolo uncto caua manu, quantum pati poſſit feruens, ſuſtineri iubent: ita ut ſi læua pars doleat, hæc medicina in dextra manu fiat, aut è contrario. Fimum quoq; ad eum uſum acus æreæ punctis tolli iubent. Modus curationis eſt, donec uapor ad lumbos ſentiatur peruenire. Poſtea uero manum porro tuſo illinunt, item lumbos ipſo fimo cũ melle, ſuadentq; in eodem dolore & teſtes leporis deuorare. Iſchiadicis fimum bubulum imponunt, calfactum in foliis cinere feruenti. In renum dolore leporis renes crudos deuorari iubent, aut

certe

certe coctos,ita ne dente contingantur. Ventris quidem dolore tentari negãt talũ leporis habẽtes.Lienem ſedat fel apri uel ſuis potũ,uel ceruini cornus cinis in aceto. Efficaciſſime tamen inucteratus lien aſini, ita ut in triduo ſentiatur utilitas. Aſinini pulli fimum, quod primum ædidit, polean uocant Syri:dant in aceto mulſo. Datur & equi lingua inuetera/ ta ex uino,præſentaneo medicamento,ut didiciſſe ſe ex barbaris Cæcilius Bion tradidit. Et lien bubulus ſimili modo.Recẽs aũt aſſus uel elixus,in cibo.In ueſica quoq; bouis allij capita xx.tuſa,cum aceti ſextario, imponuntur ad lienis dolorẽ.Eadem ex cauſa emi lie/ nem uituli quanti indicatus ſit,iubent magi.nulla pretij contatione, quoniam hoc quoq; religioſe pertineat. Diuiſumq; per longitudinem annecti tunicæ utrinq;,& induentẽ pati
10 decidere ad pedes.Dein collectum in umbra arefacere. Cum hoc fiat, ſimul reſidere lie/ nem ægri uitiatum,liberatiq; eum morbo dicitur.Prodeſt & pulmo uulpium cinere ſicca tus,atque in aqua potus.Item hœdorum lien impoſitus.

Ad aluum ſiſtendam,cæliacos,dyſentericos,inflationes alui,rupta, tenaſmon,& tineas,& colum. Cap. XIIII

ALuum ſiſtit ceruinus ſanguis,item cornus cinis:iecur aprinum ex uino potum citra ſalem,recenſq;: item aſſum ſuillum, uel hircinum decoctum in uini hemina. Coa/ gulum leporis in uino ciceris magnitudine:aut ſi febris ſit, ex aqua. Aliqui & gallã adijci/ unt,alij per ſe leporis ſanguine contenti ſunt lacte cocto. Equini fimi cinis in aqua potus. Taurini cornus ueteris ex parte ima cinis,inſperſus potioni aquę. Sanguis hircinus in car
20 bone decoctus:Coriũ caprinum cũ ſuo pilo decoctum, ſucco epoto. Coagulum equi,& ſanguis caprinus,uel medulla,uel iecur aluum ſoluit: Fel lupi cum elaterio umbilico illiga tum. Vel lactis equini potus:item caprini cum ſale & melle:Capræ fel cum cyclamini ſuc co & aluminis modico. Aliqui & nitrum & aquam adieciſſe malunt. Fel tauri cum abſin/ thio tritum ac ſubditum paſtillo.Butyrum largius ſumptum,cœliacis & dyſentericis me/ detur,iecur uaccinum:Cornus ceruini cinis,tribus digitis captus in potione aquæ:Coagu lum leporis ſubactum in pane:Si uero ſanguinem detrahunt, in polẽta: Aprini,uel ſuilli, uel leporini fimi cinis,inſperſus potioni tepidæ uini. Vituli quoque ius uulgariter datum, inter auxilia cœliacorum & dyſentericorum tradunt. Lactis aſinini potus utilior, addito melle.Nec minus efficax fimi cinis ex uino,utriq; uitio.Item polea ſupradicta. Equi coa/
30 gulum,quod aliqui hippacem uocant,etiam ſi ſanguinem detrahant:uel fimi cinis,denti/ umq; eiuſdem tuſorum farina,ſalutaris dicitur:& bubuli lactis decocti potus. Dyſenteri cis addi mellis exiguum præcipiunt:& ſi tormina ſint,cornus ceruini cinerem,aut ſel tauri num cumino mixtum,& cucurbitæ carnes umbilico imponere.Caſeus recẽs uaccinus im mittitur ad utrunq; uitiũ.Item butyrum heminis quatuor,cũ reſinæ terebinthinę ſextan/ te,aut cum malua decocta,aut roſaceo.Datur & ſeuum uitulinũ,aut bubulum. Item me/ dullæ excoquuntur cum farina & cera exiguoq; oleo,ut ſorberi poſſint:Medulla & in pa ne ſubigitur:Lac caprinũ ad dimidias partes decoctum. Si ſint & tormina, additur pro/ tropum. Torminibus ſatis eſſe remedij in leporis coagulo poto è uino tepido, uel ſemel, arbitrantur aliqui.Cautiores & ſanguine caprino cum farina hordeacea & reſina, uentrẽ
04 illinunt.Ad omnes epiphoras uentris illini caſeum mollem ſuadẽt: Veterem autem in fa/ rina tritum,cœliacis & dyſentericis dari,cyatho caſei in uini cyathis tribus.Sanguis capri/ nus decoctus cum medulla dyſentericis:Iecur aſſum capræ,cœliacis ſubuenit,magisq; e/ tiam hirci,in uino auſtero decoctum potumq;,uel ex oleo myrteo umbilico impoſitum. Quidam uero decoquunt à tribus ſextarijs aquæ ad geminam, addita ruta. Vtuntur & ligne aſſo capræ hirciũe, & ſeuo hirci in pane qui cinere coctus ſit, capræ à renibus maxi/ me,ut per ſe hauriatur,protinusq; modice frigidam ſorberi iubent. Aliqui & in aqua de/ coctum ſeuum admixta polenta & cumino,& anetho,acetoq;. Illinunt & uentrem cœlia cis,ſimo cum melle decocto. Vtuntur ad utrũq; uitium & coagulo hœdi in uino myrtite, magnitudine fabæ poto:& ſanguine eiuſdem in cibum formato, quem ſanguiculum uo/



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171286-p0557-0 DFG

cant. Infundunt dysentericis & glutinum taurinum, aqua calida resolutum. Inflationes autem discutit uitulinum fimum in uino decoctum. Intestinorum uitijs magnopere prodest coagulum ceruorum, decoctum cum lente betaq́ę, atq́ę ita in cibo sumptum: Leporis pilorum cinis cum melle decoctus: Lactis caprini potus decoctus cum malua, exiguo sale addito. Et si coagulum addatur, maioribus emolumentis fiat. Eadem uis est & in seuo caprino in sorbitiõe aliqua, uti protinus hauriatur frigida aqua. Item feminum hœdi cinis, rupta intestina sarcire mire traditur: Fimum leporis cum melle decoctum, & quotidie fabæ magnitudine sumptum, ita ut deploratos sanauerint. Laudant & caprini capitis cum suis pilis decocti succum. Tenasmos, id est, crebra & inanis uoluntas egerẽdi, tollitur poto lacte asinino: Item bubulo. Tinearum genera pellit ceruini cornus cinis potus. Quæ in excrementis lupi diximus inueniri ossa, si terram non attigerint, colo medentur adalligata brachio: Polea quoq́ę supradicta magnopere prodest in sapa decocta. Itẽ suilli fimi farina addito cumino in aqua rutæ decoctę: Cornus ceruini teneri cinis, cochleis africanis cum testa sua tusis mixtus, in uini potione.

## Ad uesicæ cruciatus & calculos: de genitalium & sedis uitijs, & inguinum remedijs. Cap. XV

VEsicæ calculorumq́ę cruciatibus auxiliatur urina apri, & ipsa uesica pro cibo sumpta: Efficacius, si prius fumo maceretur utrũq́ę. Vesicam elixam mandi oportet, & à muliere fœminæ suis. Inueniuntur & in iocineribus eorum lapilli, aut duritie lapillis similes, candidi, sicuti in uulgari sue: quibus contritis atque potis in uino, pelli calculos aiunt. Ipsi apro tam grauis sua urina est, ut nisi egesta fugæ non sufficiat, ac uelut deuinctus opprimatur. Exuri illa tradũt eos. Leporis renes inueterati, in uino poti, calculos pellunt. In perna suis articulos esse diximus, quorum decoctum ius facit urinæ utile. Asinini renes inueterati tritiq́ę, & in uino mero dati, uesicæ medentur. Calculos expellunt lichenes equini ex uino aut mulso poti diebus XL. Prodest & ungulæ equinæ cinis, in uino, aut aqua. Item fimum caprarum in mulso, efficacius sylueſtrium: Pili quoq́ę caprini cinis. Verendorũ carbunculis, cerebrum apri uel suis, sanguisq́ę. Vitia uero quæ in eadem parte serpunt, iecur eorum combustũ, maxime iuniperi ligno cum charta & arrenico sanat, Fimi cinis, fel bubulum, cum alumine Ægyptio ac muria ad crassitudinem mellis subactum, insuper beta ex uino cocta imposita: caro quoq́ę. Manantia uero ulcera, seuum cum medulla uituli in uino decoctum, uel caprinum cum melle rubiq́ę succo: uel si serpant, fimũ etiam prodesse cum melle dicunt aut cum aceto, & per se butyrum. Testium tumor, cum seuo uituli, addito nitro cohibetur: uel fimo eiusdem ex aceto decocto. Vrinæ incõtinentiam cohibet uesica aprina, si assa mandatur: Vngularum apri uel suis cinis potioni insperſus: Vesica fœminæ suis combusta ac pota. Item hœdi uel pulmo: Cerebrum leporis in uino: Eiusdẽ testiculi tosti, uel coagulum cum anserino adipe in polenta: Renes asinini in mero triti potiq́ę. Magi uerrini genitalis cinere poto ex uino dulci demonstrant urinam facere in canis cubili, ac uerba adijcere, ne ipse urinam faciat ut canis in suo cubili. Rursus ciet urinam uesica suis, si terram non attigerit, imposita pubi. Sedis uitijs præclare prodest fel ursinum cum adipe: Quidam adijciunt spumam argenti ac thus. Prodest & butyrum cum adipe anserino ac rosaceo. Modum ipsæ res statuunt, ut sint illitu faciles. Præclare medetur & taurinum fel, in linteolis concerptis: rimasqúe perducit ad cicatricem. Inflationibus in ea parte, seuum uituli, maxime ab inguinibus cum ruta: Cæteris uitijs medetur sanguis caprinus cum polenta. Item fel caprinum condylomatis per se. Item fel lupinum ex uino. Panos & apostemata in quacũq́ę parte, sanguis ursinus discutit: Itẽ taurinus aridus tritus. Præcipuum tamen remedium traditur in calculo onagri: quem dicitur cum interficiatur reddere urinã, liquidiorem initio, sed in terra spissantem se. Hic adalligatus femini, omnes impetus discutit, omniq́ę suppuratione liberat. Est autem rarus inuentu, nec ex omni onagro, sed celebri remedio. Prodest & urina asini cum melanthio. Et ungulæ equinæ

cinis

cinis cum oleo & aqua illitus: Sanguis equi, præcipue admissarij: Et sanguis bubulus: item fel. Caro quoq; eosdem effectus habet calida imposita: & ungulę cinis ex aqua aut melle: urina caprarum: hircorumq; carnes in aqua decoctæ: aut fimum ex his cum melle decoctum: fel ursinum siue uerrinum: urina suum in lana imposita. Femina atteri aduriq; equitatu notum est. Vtilissimum est ad omnes inde causas, spumam equi ex ore inguinibusq; illinire. Inguina & ex ulcerum causa intumescunt. Remedio sunt equi setæ tres, totidem nodis alligatæ intra ulcus.

Ad podagras, ad morbum comitialem, ad sideratos, morbumq; regium, ossaq; fracta, remedia. Cap. XVI

10 PODagris medetur ursinus adeps, taurinumq; seuum, pari pondere & ceræ. Addunt quidã hypocisthida & gallam. Alij hircinũ pręferunt seuũ cum fimo capræ, & croco sinapiũe, uel caulibus ederæ tritis, ac perdicio uel flore cucumeris sylueſtris: Item bouis fimũ cum aceti fece. Magnificãt & uituli, qui nondũ herbam gustauerit, fimum, aut per se sanguinem tauri: Vulpem decoctam uiuam, donec ossa tantum restent: lupumũe uiuum oleo cerati modo incoctum: Seuum hircinum, cum helxines parte æqua, sinapis tertia: Fimi caprini cinerem cum axũgia. Quin & ischiadicos uri sub pollicibus pedum eo fimo feruente, utilissime tradunt. Articulorumq; uitijs fel ursinum utilissimum esse, & leporis pedes adalligatos. Podagras quidã mitigari pede leporis uiuentis abscisso, si quis secum assidue habeat. Perniones ursinus adeps, rimasq; pedum omnes sarcit: Efficacius alumine
20 addito: Seuum caprinum: Dentium equi farina: Aprinum uel suillum fel: cum adipe pulmo impositus: & si subtriti sint contusiũe offensatione. Si uero adusti frigore, leporini pili cinis: Eiusdem pulmo contusis dissectus, aut pulmonis cinis. Sole adusta, seuo asinino aptissime curantur. Item bubulo cum rosaceo. Clauos & rimas calliq; uitia, fimum apri uel suis recens illitum, ac tertio die solutum sanat. Talorum cinis, pulmo aprinus, aut suillus, aut ceruinus. Attritus calceamentorum, urina asini cum luto suo illita. Clauos seuum bubulum cum thuris polline. Perniones uero corium combustum: melius ex uetere calceamento. *Iniurias è calceatu, ex oleo corij caprini cinis. Varicum dolores sedat fimi uitulini cinis, cum lilij bulbis decoctis, addito melle modico: Itemq; omnia inflãmata & suppurationes minantia. Eadẽ res & podagris prodest, & articularijs morbis, è maribus præ*
50 cipue uitulis. Articulorum attritis, fel aprorum uel suum, linteo calefacto impositum: uituliq; qui nondũ herbam gustauerit, fimum: Item caprinum cum melle in aceto decoctũ. Vngues scabros seuum uituli emendat: Item caprinum admixta sandaracha. Verrucas uero aufert uitulini fimi cinis ex aceto: asini urinæ lutum. Comitiali morbo testes ursinos edisse prodest, uel aprinos bibisse ex lacte equino, aut ex aqua: Item aprinam urinam ex aceto mulso: efficacius, quæ inaruerit in uesica sua. Dantur & suum testiculi inueterati tritiq; in suis lacte, præcedente uini abstinentia, & sequente continuis diebus. Dantur & leporis sale custoditi pulmones, cũ thuris tertia parte, in uino albo, per dies XXX. Item coagula eiusdẽ. Asini cerebrũ ex aqua mulsa, infumatũ prius in foliijs, semuncia per dies: uel ungularum eius cinis cochlearibus binis toto mẽse potus: Item testes sale asseruati, &
40 aspersi potioni, in asinarum maxime lacte uel ex aqua. Membrana partus earum, præcipue si matem pepererint, olfacta accedente morbo comitialium resistit. Sunt qui è mare nigroq; cor edendũ cum pane sub dio prima aut secunda luna præcipiant. Alij carnem, aliqui sanguinem aceto dilutum per dies XL. bibendum. Quidam urinam equi aquæ ferrariæ ex officinis miscent, eademq; potione & lymphaticis medẽtur. Comitialibus datur & lactis equini potus, lichenq; in aceto mulso bibendus. Dantur & carnes caprinæ *in togo* hominis tostæ, ut uolunt magi. Seuũ earum cum felle taurino pari pondere *decoctũ*, & in folliculo fellis reconditũ, ita ne terrã attingat, potum uero sub limine *ex aqua*. Morbum ipsum deprehẽdit caprini cornus, uel ceruini usti nidor. *Sideratis urina* pulli asinini nardo admixto perũctione prodesse dicitur. Regio morbo cornus *ceruini* cinis: Sanguis

asinini pulli ex uino. Item fimum asinini pulli, quod primum ædidit à partu, datum fabæ magnitudine è uino medetur intra diem tertium. Eadē & ex equino pullo similiterq; uis est. Fractis ossibus præsentaneus maxillarum apri cinis uel suis. Item lardum elixum atq; circumligatum mira celeritate solidat. Costis quidem fractis laudatur unice caprinum fimum ex uino uetere, aperit, extrahit, persanat. Febres arcet ceruorum caro, ut diximus. Eas quidem quæ certo dierum numero redeunt, oculus lupi dexter salsus adalligatusq;, si credimus magis. Est genus febriū, quod amphimerinum uocant. Hoc liberari tradunt, si quis è uena auris asini tres guttas sanguinis in duabus heminis aquæ hauserit. Quartanis magi excrementa felis cum digito bubonis adalligari iubent, & ne recidant, non remoueri septeno circuitu. Quis hoc quæso inuenire potuit? quæue est ista mixtura? cur digitus potissimum bubonis electus est? Modestiores iecur felis decrescēte luna occisæ inueteratum sale, ex uino bibendum ante accessiones quartanæ dixere. Iidem magi fimi bubuli cinere consperso puerorum urina illinunt digitos pedum, manibusq; leporis cor adalligant. Coagulum ante accessionem propināt. Datur & caseus caprinus recens cū melle diligenter sero expresso.

Ad melancholicos, lethargicos, hydropicos: ad ignem sacrum, & ad dolores neruorum remedia. Cap. XVII

MElancholicis fimum uituli in uino decoctum remedio est. Lethargicos excitat asini lichen, naribus illitus ex aceto: Caprini cornus nidor aut pilorum: iecur aprinum. Itaq; & ueternosis datur. Phthisicis medētur, iecur lupi ex uino, macræ suis fœminæ herbis pastæ lardum, carnes asininæ ex iure sumptæ. Hoc genere maxime in Achaia curant id malum. Fimi quoq; aridi, sed pabulo uiridi pasto boue, fumum harundine haustum prodesse tradunt: Bubuli quoq; cornus mucronem exustum, duorum cochleariorū mensura, addito melle, pilulis deuoratis. Capræ seuo in pulte ex alica & phthisin & tussim sanari, uel recēti cum mulso liquefacto, ita ut uncia in cyathum addatur, rutæq; ramo permisceatur, nō pauci tradunt. Rupicapræ seui cyatho, & lactis pari mensura, deploratum phthisicum conualuisse certus autor affirmat. Sunt & qui suum fimi cinerē profuisse scripserint in passo: & cerui pulmonem, maxime subulonis, siccatum in fumo tritumque in uino. Hydropicis auxiliatur urina uesicæ apri paulatim data in potus: Efficacius quæ inaruerit cum uesica sua: Fimi ceruini maxime subulonis, sed & bubuli, de armentinis loquor (quod bolbiton uocant) cinis cochleariorum trium in mulsi hemina, bouis fœminæ in mulieribus, & ex altero sexu in uiris, quod ueluti mysterium occultarunt magi: Fimum uituli masculi illitum: Fimi uituli cinis cum semine staphylini, æqua portione ex uino: Sanguis caprinus cum medulla. Efficaciorem putant hircorum, utiq; si lentisco pascātur. Igni sacro ursinus adeps illinitur, maxime qui est ad renes: Vitulinum fimum recens, uel bubulum: Caseus caprinus siccus cum porro: Ramenta pellis ceruinę deiecta pumice, ex aceto trita. Rubori cum prurigine, equi spuma aut ungulæ cinis. Eruptionibus pituitæ, asinini fimi cinis cum butyro. Papulis nigris, caseus caprinus siccus ex melle & aceto in balineis, oleo remoto. Pustulis suilli fimi cinis aqua illitus, uel cornus ceruini cinis. Luxatis recens fimum aprinum uel suillum: Item uitulinum: Verris spuma recens cum aceto, fimū caprinum cum melle. Bubula caro imposita tumorem sanat. Fimum suillum in testa calefactum tritumq; cum oleo, duritias corporum omnes tollit optime. Adeps è lupis illitus, in his quæ rumpere opus est, plurimum proficit: Fimum bubulum in cinere calefactum, aut caprinum in uino uel aceto decoctum. In furunculis seuum bubulum cum sale: aut si dolor est, intinctum oleo, liquefactum sine sale, similiq; modo caprinum, In ambustis ursinus adeps cum liliij radicibus: Aprinum aut suillum fimum inueteratum: Setarum ex his è penicillis tectorijs cinis cum adipe tritus: Tali bubuli cinis, cum cera & medulla ceruina: Fel tauri: Fimum leporis: Sed caprarum fimus sine cicatrice sanare dicitur. Glutinum præstantissimum fit ex auribus taurorum & genitalibus: Nec quicquam efficacius



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171286-p0560-5 DFG

cacius prodeſt ambuſtis.Sed adulteratur nihil æque, quibuſuis pellibus inueteratis, calceamentisq; etiam decoctis.Rhodiacum fideliſsimum : eoq; pictores & medici utuntur: Id quoque quo candidius,eo probatius.Nigrum & lignoſum damnatur. Neruorum doloribus, ſimum caprinum decoctum in aceto cum melle, utiliſsimum putant, uel putreſcente neruo.Spaſmata & percuſſu uitiata, ſimo aprino curant, uere collecto & arefacto Sic & quadrigis agendis tractos,rotáue uulneratos:& quoquo modo ſanguine contuſo, uel ſi recens illinatur.Sunt qui incoxiſſe aceto,utilius putēt. Quin & in potu farinam eam ruptis conuulneratisq; & euerſis ex aceto ſalutarē promittunt. Reuerentiores cinerē eius ex aqua bibunt. Feruntq; & Neronem principem hac potione recreari ſolitum, cum ſic
10 quoq; ſe trigario approbare uellet.Proximam ſuillo ſimo uim putant.

Ad ſanguinem ſiſtendum:& contra ulcera & carcinomata,ad ſcabiem remedia:& quæ infixa corpori extrahunt,& quæ cicatricibus proſunt. Cap. XVIII

SAnguinem ſiſtit coagulum ceruinū ex aceto : Item leporis:Huius quidem & pilorum cinis:Item ex ſimo aſinino cinis:& pilorum quidē cinis illitus.Efficacior uis è maribus aceto admixto,& in lana ad omne profluuium impoſito,Similiter ex equino capite & femine:Aut ſimi uitulorū cinis illitus ex aceto.Item caprini cornus uel ſimi ex aceto:Hircini uero iocineris diſſecti ſanies efficacior:Et cinis utriuſq; ex uino potus,uel naribus ex aceto illitus.Hircini quoque utris uinarij duntaxat cinis, cum pari pondere reſinæ, quo genere ſiſtitur ſanguis, & uulnus glutinatur. Hœdinum quoq; coagulum ex aceto, & feminum
20 eius combuſtorū cinis,ſimiliter pollere traduntur. Vlcera ſanat in tibijs cruribusq; adeps urſinus,admixta rubrica.Quæ uero ſerpunt,fel aprinū cum reſina & ceruſa: Maxillarum apri uel ſuum cinis:Fimum ſuum illitum ſiccum : Item caprinū ex aceto ſubferuefactum. Cætera purgantur & explētur butyro:Cornus ceruini cinere,uel medulla cerui:Felle taurino cum cyprino oleo,aut ſimo aprino, aut hircino. Fimum recens ſuum, uel inueterati farina illinitur uulneribus ferro factis. Phagedænis & fiſtulis immittit fel tauri,cū ſucco porri,aut lacte mulierum,uel ſanguis aridus cum cotyledone herba. Carcinomata curat coagulum leporis,cum pari pondere capparis aſperſum uino. Gangrenas urſinū fel penna illitum. Aſini ungularum cinis ea quæ ſerpunt ulcera inſperſus. Sanguis equi adrodit carnes ſeptica ui:Item ſimi equini inueterati fauilla. Ea uero quæ phagedænas uocant in
50 ulcerum genere,corij bubuli cinis cū melle. Caro uituli recentia uulnera non patitur intumeſcere:Fimum bubulum cum melle.Feminū uituli cinis ſordida ulcera,& quæ cacoëthe uocant è lacte mulieris ſanat. Recentes uero plagas ferro illatas, glutinum taurinum liquefactū, tertio die ſolutū.Caſeus caprinus ſiccus ex aceto ac melle,purgat ulcera.Quæ uero ſerpant, cohibet ſeuum cum cera : Item addita pice ac ſulphure percurat. Similiter proficit ad cacoëthe,hœdi fœminū cinis è lacte mulieris.Et aduerſus carbūculos, ſuis fœminæ cerebrum toſtum illitumq;. Scabiem hominis,aſininæ medullæ maxime abolent. Vrinæ eiuſdē cum ſuo luto illitæ:Butyrum etiam,quod in iumentis proficit cum reſina calida:Glutinū taurinū in aceto liquefactum,addita calce:Fel caprinū cum aluminis cinere, Boas ſimum bubulum,unde & nomen traxere: Canū ſcabies ſanantur bubulo ſanguine
40 recenti:iterumq; cum inareſcat illito,& poſtero die abluto cinere lixiuio. Spinæ ac ſimilia corpori extrahuntur felis excrementis:Itē capræ ex uino:coagulo quocunq;,ſed maxime leporis,cū thuris polline & oleo,aut cum uiſci pari pondere,aut cum propoli. Cicatrices nigras ſeuum aſininum reducit ad colorē. Fel uituli extenuat calefactū. Medici adijciunt myrrham,& mel,& crocum,æreaq; pyxide condunt. Aliqui & florem æris admiſcent.

Ad muliebria mala medicinæ,& ad infantiū morbos,& ueneris remedia. Cap. XIX

MVlierum purgationes adiuuat fel taurinū lana ſuccida appoſitum. Olympias Thebana addidit hyſſopū & nitrum: Cornus ceruini cinis potus.Item uuluas laborantes,illitu quoque:& fel taurinum cum opio appoſitum obolis binis. Vuluas & pilo ceruino ſuffire prodeſt. Tradunt,ceruas cum ſenſerint ſe grauidas,lapillum deuorare:quem in

excrementis repertum, aut in uulua(nam & ibi inuenitur) custodire partus adalligatum. Inueniuntur & osicula in corde & in uulua, perquàm utilia grauidis parturientibusq̃. Nam de pumice, qui in uaccarum utero simili modo inuenitur, diximus in natura boum. Lupi adeps illitus uuluas mollit, dolores earum iecur. Carnes lupi edisse parituris prodest: aut si incipientibus parturire sit iuxtà qui ederit, adeo, ut etiam contra illatas noxias ualeat. Eundem superuenire, perniciosum est. Magnus & leporis usus mulieribus. Vulua adiuuat pulmo aridus potus. Profluuia iecur cum Samia terra ex aqua potum. Secundas coagulum: cauentur pridiana balinea. Illitum quoque cum croco & porri succo, uellere appositum abortus mortuos expellit. Si uuluæ leporum in cibis sumantur, mares concipi putant. Hoc & testiculis eorum & coagulo prosici. Conceptum leporis utero ex- 10
emptum his, quæ parere desierint, restibilem fœcunditatem afferre. Sed pro conceptu, leporis saniem & uiro magi propinant. Item uirgini nouem grana fimi, ut stent perpetuo mammæ: coagulum quoque ob id cum melle illinunt: sanguinem, ubi euulsos pilos renasci nolũt. Inflationi uuluæ, fimum aprinum suillumúe cum oleo illini prodest. Efficacius sistit farina aridi, ut aspergatur potioni, uel si grauidæ aut puerperæ torqueantur. Lacte suis poto cum mulso adiuuantur partus mulierum. Per se uero potum, deficientia ubera puerperarum replet. Eadem circumlita sanguine fœminæ suis, minus crescent. Si dolent, lactis asinini potu mulcentur: quod addito melle sumptum, & purgationes earum adiuuat. Sanat & uuluarum exulcerationes eiusdem animalis seuum inueteratum, & in uellere appositum duritiem uuluarum emollit. Per se uero recẽs uel inueteratum, ex aqua il- 20
litum, psilothri uim obtinet. Eiusdem animalis lien inueteratus, ex aqua illitus mammis, abundantiam facit. Vuluas suffitu corrigit. Vngulæ asininæ suffitæ partum maturant, ut uel abortus euocetur: nec aliter adhibentur, quoniam uiuentem partum necant. Eiusdem animalis fimum si recens imponatur, profluuia sanguinis mire sedare dicitur. Nec non & cinis eiusdẽ fimi, qui & uuluæ prodest impositus. Equi spuma illita per dies x x. priusq̃ primum nascantur pili restinguntur. Item cornus cerruini decocto: melius, si recentia sint cornua. Lacte equino iuuantur uuluæ collutæ. Quod si mortuus partus sentiatur, lien ex aqua dulci potus eijcit. Item ungulæ suffitu, aut fimum aridum. Vuluas procidentes butyrum infusum sistit. Induratam uuluam aperit fel bubulum rosaceo admixto, foris uellere cum resina terebinthina imposito. Aiunt & suffitu fimi è mare boue, procidentes uul- 30
uas reprimi, partus adiuuari. Conceptus uero uaccini lactis potu. Sterilitatem ob partus uexationem fieri, certum est. Hanc emendari Olympias Thebana affirmat felle taurino, & adipe serpentium, & ærugine, addito melle, medicatis locis ante coitus. Vitulinum quoque fel, si in purgationibus fuerit sub coitu aspersum uuluæ, etiam duritiam uentris emollit, & profluuium minuit umbilico peruncto, atq̃ in totum uuluæ prodest. Modum statuunt fellis pondere denarij ad apij tertiam, admixto amygdalino oleo, quantum esse satis appareat, hoc in uellere imponunt. Masculi fel uituli, cum mellis dimidio tritum, seruatur ad uuluas. Carnem uituli si cum aristolochia inassatam edant circa conceptum, mares parituras promittunt. Medulla uituli in uino ex aqua decocta cum seuo, exulcerationibus uuluarum imposita prodest. Item adeps uulpium, excrementumq̃ feliũ: hoc cum 40
resina & rosaceo impositum. Caprino cornu suffiri uuluam, utilissimum putant. Sylue-strium caprarum sanguis cum palma marina pilos detrahit. Cæterarum uero fel, callum uuluarum emollit insperſum, & à purgatione conceptus facit. Sic quoque psilothri uis efficitur, si euulsis pilis triduo seruetur illitum. Profluuium quamuis immensum, urina capræ pota sisti, obstetrices promittunt, & si fimum illinatur. Membrana capratum in qua partus æditus, inueterata potuq̃ue sumpta in uino, secundas pellit. Hœdorum pilis suffiri uuluas, utile putant, & in profluuio sanguinis coagulum bibi, aut hyoscyami semen imponi. E boue sylueſtri nigro si sanguine ricini lumbi perungantur mulieri, tædium ueneris fieri dicit Osthanes, Idem amoris, pota hirci urina, admixto propter fastidium nardo. In-

do. Infantibus nihil butyro utilius, per se & cum melle: priuatim & in dentitione & ad gingiuas, & ad oris ulcera. Dens lupi adalligatus, infantiũ pauores prohibet, dentiticq; morbos, quod & pellis lupina præstat. Dentes quidem eorum maximi, equis quoque adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur. Leporum coagulo illito ubere, sistitur infantium aluus. Iecur asini, admixta modice panace, instillatum in os, à comitialibus morbis & alijs infantes tuetur: hoc XL. diebus fieri præcipiunt. Et pellis asinina iniecta, impauidos infantes facit. Dentes qui equis primum cadunt, facilem dentitionẽ præstant infantibus adalligati, efficacius si terram non attigere. Lien bubulus in melle editur, & illinitur ad lienis dolores. Ad ulcera manantia cum melle. Lien uituli in uino decoctus, tritusq; & illitus, ulcuscula oris. Cerebrum capræ magi per anulum aureum traiectum, priusquam lac detur, infantibus instillant contra comitiales, cæterosque infantium morbos. Caprinum fimum inquietos infantes adalligatum panno cohibet, maxime puellas. Lacte caprino, uel cerebro leporum peruncta gingiuæ, faciles dentitiones faciunt. Somnos fieri lepore sumpto in cibis Cato arbitratur: Vulgus & gratiam corpori in VII. dies, friuolo quidem ioco, cui tamen aliqua debeat subesse causa in tanta persuasione. Magi felle capræ sacrificatæ duntaxat illito oculis, uel sub puluino posito, somnum allici dicunt. Sudores inhibet cornus caprini cinis è myrteo oleo peruncti. Coitus stimulat fel aprinum illitum: Item medullæ suum haustæ: Seuum asininum, anseris masculi adipe permixto illitum: Item à coitu equi Vergilio quoque descriptum uirus, & testiculi equini aridi, ut potioni interi possint, dexterúe asini testis in uino potus pro portione, uel adalligatus brachiali. Eiusdem à coitu spuma collecta roseo panno, & inclusa argento, ut Osthanes tradit. Salpe genitale in oleum feruens mergi iubet septies, eóque perungi pertinentes partes. Bialcon cinerem ex eodem bibi, uel tauri à coitu urinam, lutoque ipso illini pubem. At è diuerso muris fimo illito, cohibetur uirorum uenus. Ebrietatem arcet pulmo apri aut suis assus, ieiuni cibo sumptus eo die: Item hœdinus.

## Mira de animalibus. Cap. XX

MIra præterea traduntur in eisdem animalibus. Vestigium equi excussum ungula (ut solet plerũq;) si quis collectum reponat, singultus remedium esse, recordãtibus quonam loco id reposuerint. Iecur luporum equinæ ungulæ simile esse, & rumpi equos, qui uestigia luporum sub equite sequantur. Talis suum discordiæ uim quandam inesse. In incẽdijs si fimi aliquid egeratur è stabulis, facilius extrahi, nec recurrere oues bouesq;. Hircorum carnes uirus nõ resipere, si panem hordeaceũ eo die quo interficiãtur ederint, laserúe dilutum biberint. Nullas uero teredinem sentire, luna decrescente induratas sale. Adeoq; nihil omissum est, ut leporem surdum celerius pinguescere reperiamus. Animalium uero medicinas: Si sanguis profluat iumẽtis, suillum fimum ex uino infundendum. Boum autem morbis seuum, sulphur uiuum, allium sylueſtre, ouum coctum: omnia hæc trita in uino danda, aut uulpis adipem. Carnem caballinam discoctam, potu suum morbis mederi. Omnium uero quadrupedum morbis, capram solidam cum corio, & ranam rubetam discoctas. Gallinaceos non attingi à uulpibus, qui iecur animalis eius aridũ ederint: uel si pellicula ex ea collo inducta, galli inierint: Similia in felle mustelæ, Boues in Cypro contra tormina, hominum excrementis sibi mederi. Non subteri pedes boum, si prius cornua pice liquida perungantur. Lupos in agrum non accedere, si capti unius pedibus infractis, cultroq; adacto, paulatim sanguis circa fines agri spargatur: atq; ipse defodiatur in eo loco ex quo cœperit trahi: Aut si uomerẽ, quo primus sulcus eo anno in agro ductus sit, excussum aratro, focus larium, quo familia conuenit, absumat: ac lupum nulli animalium nociturum in eo agro quandiu id fiat. Hinc deinde reuertemur ad animalia sui generis, quæ aut placida non sunt, aut fera.